



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



888
P312
532





P3
S31

^u
PHILOSTRATI MINORIS
IMAGINES

ET

CALLISTRATI
DESCRIPTIONES

RECENSUERUNT

CAROLUS SCHENKL ET AEMILIUS REISCH



LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI
MCMII

LIPSIAN: TYPIS E. G. TEUBNERI.

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM GRAECORUM ET ROMANORUM
TEUBNERIANA.

PHILOSTRATI MINORIS
IMAGINES

ET

CALLISTRATI
DESCRIPTIONES

RECENSUERUNT

CAROLUS SCHENKL ET AEMILIUS REISCH



LIPSIÆ
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI
MCMII

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM GRAECORUM ET ROMANORUM TEUBNERIANA

| | geb. | geb. | | geb. | geb. |
|--|-------|--------|---|-------|-------|
| | M. J. | M. J. | | M. J. | M. J. |
| Aelianus ed. Hercher. 2 voll. | 9.— | 10. 05 | Benedicti regula ed. Wölflin | 1.60 | 2.— |
| — varia historia | —90 | 1.30 | Boetius de inst. arithm. ed. Friedlein | 5.10 | 5.6 |
| Aeneas ed. Hug | 1.35 | 1.75 | — de consolatione ed. Peiper | 2.70 | — |
| Aeschines ed. Franks | —90 | 1.30 | — comm. in libr. Aristotelis <i>ἡθικῶν</i> | — | — |
| — ed. Blass | 2.40 | 2.80 | — <i>ἡθικῶν</i> rec. Meiser. 3 voll. | 8.70 | 9.7 |
| — Ed. mai. o. Ind. Aeschin. | 8.— | 8.60 | Buccolici Graeci ed. Ahrens. Ed. II | —60 | 1.— |
| [—] Ind. Aeschin. comp. Preuss. | 6.40 | — | Caesar ed. Dister. Ed. II min. | 1.50 | 2.1 |
| Aeschylus tragoediae ed. Weil | 1.50 | 2.— | — bell. Gall. Ed. II min. | —75 | 1.1 |
| — Singulae tragoediae | —30 | —60 | — bell. civile. Ed. II min. | —60 | —9 |
| [—] Schol. in Pers. ed. Dahnhardt | 8.60 | 4.20 | — ed. Kübler. bell. Gall. Ed. min. | —75 | 1.1 |
| Alexander Lycop. ed. Brinkmann | 1.— | 1.25 | — Ed. maior | 1.20 | 1.6 |
| Ammianus M. ed. Gardthausen. 2 voll. | 7.20 | 8.40 | — bell. civ. Ed. min. | —60 | —9 |
| Anacreon ed. Rose. Ed. II | 1.— | 1.40 | — Ed. maior | —90 | 1.8 |
| Andocides ed. Blass. Ed. II | 1.20 | 1.60 | — b. Alex. b. Alfr. Ed. mai. | 1.— | 1.4 |
| Anna Comnena ed. Reiferscheid. 2 voll. | 7.50 | 8.60 | — Ed. min. | —60 | 1.— |
| Anthimus ed. Rose | 1.— | 1.25 | — b. Hisp. Fragm. Indices | 1.50 | 1.9 |
| Anthologia Gr. ed. Stadtmüller. I. | 6.— | 6.60 | Callinici vita S. Hypatii | 8.— | 3.4 |
| — II, 1. | 8.— | 8.60 | Cassius Felix ed. Rose | 3.— | 3.4 |
| — Lat. I. 1 ed. Riese. Ed. II | 4.— | 4.60 | Cato ed. Keil | 1.— | 1.4 |
| — II ed. Bucheler. 2 fasc. | 9.20 | 10.35 | Catullus ed. Müller | —45 | —7 |
| Antiphanes ed. Blass | 2.10 | 2.50 | — Tibull., Propert. ed. Müller | 2.70 | 3.2 |
| Antoninus ed. Stieh | 1.80 | 2.20 | Cebetis tabula rec. Praechter | —60 | —9 |
| Apollonius Perg. ed. Heiberg. 2 voll. | 9.— | 10.— | Celsus ed. Daremberg | 3.— | 3.5 |
| Apollonius Rhodius ed. Merkel | 1.— | 1.40 | Chronica min. ed. Frick. 2 voll. Vol. I | 6.80 | 7.4 |
| Applanus ed. Mendelssohn. 2 voll. | 9.— | 10.— | Cicero ed. Müller. 5 partes (=11 voll. | — | — |
| Apulei metamorph. ed. v. d. Vliet | 3.— | 3.50 | — = 57 fascic.) Pars I. 1. 2. M. 3.45. | — | — |
| — Apologia Florida ed. v. d. Vliet | 4.— | 4.50 | geb. M. 4.40. Pars II. 1.—3. M. 6.30. | — | — |
| Archimedes ed. Heiberg. 3 voll. | 18.— | 19.80 | geb. M. 7.80. Pars III. 1. 2. M. 7.80. | — | — |
| Aristae epist. ed. Wendland | 4.— | 4.50 | geb. M. 9.—. Pars IV. 1.—3. M. 6.30. | — | — |
| Aristophanes ed. Bergk. 2 voll. Ed. II | 3.— | 4.— | geb. M. 7.80. | 23.85 | 29.— |
| — Singulae comediae | —45 | —75 | — orat. sel. ed. Müller. 3 partes | 1.50 | 2.— |
| Aristoteles, de partibus animal. | 1.80 | 2.20 | — add. Eberhard-Hirschfelder | 2.— | 2.— |
| — ed. Langkavel | —60 | —90 | — epistolae ed. Wesenberg. 2 voll. | 6.— | 7.— |
| — de arte poetica ed. Christ | 1.50 | 1.90 | — sel. ed. Dietach. 2 partes | 2.50 | 3.— |
| — physica ed. Prantl | 1.80 | 2.10 | Claudiani carmina ed. Koch | 3.60 | 4.— |
| — ethica Eudemia ed. Susemihl | 1.80 | 2.10 | Cleomedes ed. Ziegler | 2.70 | 3.— |
| — — Nicomachea ed. Susemihl | 1.80 | 2.10 | Comaed. Horat. ed. Jahnke | 1.20 | 1.4 |
| — de coelo, al. ed. Prantl | 1.20 | 1.60 | Commodianus ed. Ludwig. 2 voll. | 2.70 | 3.— |
| — de coloribus, al. ed. Prantl | —60 | —90 | [Constantinus] Inc. 1. de O. Magno | —60 | —1 |
| — politica ed. Susemihl. Ed. III | 2.40 | 2.80 | — ed. Heydenreich | —60 | —1 |
| — magna moralia ed. Susemihl | 1.20 | 1.60 | Cornelius Nepos ed. Fleckeisen | —80 | —1 |
| — de anima libri III ed. Biehl | 1.20 | 1.60 | Cornutus ed. Lang | 1.50 | 2.— |
| — ars rhetorica ed. Römer. Ed. II | 3.60 | 4.— | Carthus Rufus ed. Vogel | 1.20 | 1.4 |
| — metaphysica ed. Christ | 2.40 | 2.80 | Damasus ed. Ihm | 2.40 | 2.8 |
| — fragmenta ed. Rose | 4.50 | 5.— | Demetrius Cydonius ed. Deckelmann | 1.— | 1.4 |
| — oeconomica ed. Susemihl | 1.50 | 1.90 | — Demosthenes ed. Dindorf-Blass. | 4.50 | 6.— |
| — de plantis ed. Aepell | 3.— | 3.40 | — 3 voll. (=6 partes.) Ed. IV min. | 7.20 | 9.— |
| — poliar. A. S. pp. ed. Blass. Ed. III | 1.80 | 2.10 | — 3 voll. Ed. IV maior | 1.50 | 2.— |
| — parva naturalia ed. Biehl | 1.80 | 2.10 | Dietys ed. Meiser | 1.— | 1.4 |
| Arriani expeditio Alex. ed. Abicht | 1.20 | 1.70 | Dinarchus ed. Blass | 8.10 | 9.5 |
| — scripta minora ed. Eberhard | 1.80 | 2.20 | Dio Cassius ed. Meiser. 5 voll. Vol. I. II | 2.70 | — |
| Athenaeus ed. Kaibel. 3 voll. | 17.10 | 18.90 | Dio Chrysost. ed. Dindorf. Vol. II | 11.20 | 13.— |
| Augustini de civ. dei ed. Dombart. | 6.— | 7.20 | Diodorus ed. Vogel. 5 voll. Vol. I.—III | 9.60 | 11.4 |
| — Ed. II. 2 voll. | 2.70 | 3.20 | Dionysius Halic. ed. Jacoby. Vol. I.—III | 6.— | 6.6 |
| — confessionum. II. XIII ed. Knüß | 1.50 | 2.— | — opusc. rhet. ed. Usener et Radermacher. Vol. I. | 10.— | 11.— |
| Aulularia ed. P. | 6.60 | 7.20 | Diophantus ed. Tannery. 2 voll. | 1.20 | 1.— |
| Ansonius ed. Peiper | 5.60 | 6.— | Dracontius ed. Duhn | 3.— | — |
| Antolyceus ed. Hultsen | 1.— | 1.40 | — Epic. g. fragm. ed. Kinkel. 1 | 6.— | — |
| Avien Aratea ed. Hergsig | —60 | —90 | — Epic. poem. gr. Iudib. corpuse. I | 6.— | — |
| Babrius ed. Schneidew. | 8.40 | 9.— | — ed. Brandt et Wachsmuth. 2 voll. | 4.60 | 5.— |
| — ed. Crusius. Ed. maior | 4.— | 4.60 | Epictetus ed. Schenkl. Ed. minor | 10.— | — |
| — Ed. minor | 2.40 | 2.90 | — Ed. maior | — | — |
| Bacchylidis carmina ed. Blass. Ed. II | — | — | — | — | — |

PRAEFATIO.

Philostrati maioris Imaginum editione, quae ante hos octo annos in lucem emissa est, absoluta Otto Benndorf et Carolus Schenkl mox id sibi proposuerant, ut huic libro nova Philostrati minoris Imaginum et Callistrati Descriptionum recensio eodem modo adornata tamquam supplementum adiceretur. quamobrem C. Schenkl codices quosdam Vindobonam missos contulit, ceteros G. Weinberger, nunc professor gymnasii Iglaviensis, qui tum Italiam peragrabat, in huius editionis usum examinavit. sed cum O. Benndorf permultis negotiis occupatus operam promissam iam praestare non posset, C. Schenkl Aemilium Reisch in cathedra quam ille ornaverat collocatum operis socium sibi adiunxit. a quo adiutus strenue, ut solebat, opus inceptum promovit atque paene ad finem perduxerat, cum a. d. XII. Kal. Oct. anni MCM acerbo fato suis literisque ereptus est. in cuius locum Henricus filius successit.

Postquam igitur ad nos, qui huic praefationi nomina subscripsimus, operis perficiendi cura delata est, coniunctis viribus libellum expolire talemque reddere studuimus, qualem vir pia semper memoria colendus reddidisset, nisi invida mors stilum manu excussisset. et primum quidem cum aliquot locis de codicum principalium lectionibus non satis constaret, denuo ii ut inspicerentur nobis curae fuit: quod officium H. Schenkl dum Italiam peragrat in se suscepit. hoc fundamento innixi simulque utriusque scriptoris genere dicendi quam diligentissime examinato non solum in Phi-

lostrato minore multa novavimus, sed etiam Callistratum, cuius iustam recensionem incohaverat magis quam perfecerat Carolus Schenkl, totum retractavimus.

Restat ut hoc loco gratias agamus Theodoro Gomperz et Iohanni de Arnim, qui egregiis quibusdam coniecturis et observationibus communicatis benigne nos adiuvērunt, deinde Guilelmo Weinberger, qui ut in Philostrati maioris editione adornanda sic in hac quoque operam praestitit utilissimam, praeterea Hieronymo Vitelli, Henrico Omont, F. G. Kenyon, qui nostra causa libros manuscriptos inspexerunt, denique redemptori honestissimo, qui lentum operis progressum morasque crebras et officinae saepe molestas patienter tulit.

Idibus Septembris MCMI.

Aemilius Reisch. Henricus Schenkl.

Philostratus ille, qui in Imaginum ab eo compositarum inscriptione minor (νεώτερος) adpellatur, in prooemio se Philostrati avi imaginum descriptionem tamquam exemplum secutum esse dicit. unde quo tempore vixerit coniecturam facere licet. confudit nepotem cum avo Suidas eo fortasse deceptus, quod uterque librum eodem titulo instructum scripserat. etenim quod Philostratum, Nerviani filium, praeter *Εἰκόνας, Παναθηναϊκόν, Τρωικόν* (quem librum eundem esse atque *Ἡρωικόν* recte viri docti statuisse videntur) *Παράφρασιν* quoque *τῆς Ὀμήρου ἀσπίδος* scripsisse narrat, hoc titulo caput decimum libelli Philostrati minoris significari Welcker intellexit. et cum Suidas hoc caput tamquam peculiarem librum adferat, iure colligere licet non parvi aestimatam esse hanc descriptionem, quae fortasse simul cum HomERICA in scholis legebatur.

Nepotis opusculum cum avi Imaginibus in codicibus coniunctum fuisse non e sola inscriptione colligere licet, qua ille utpote minor huic tamquam maiori diserte opponitur, quoniam ex ipsa libelli praefatione facile quivis legendi peritus id expiscari potuit. nec ullius momenti est, quod in Parisiensi 1760 adiunctus est Philostrati maioris Imaginibus, quippe qui totus pendeat e Laurentiano LVIII 32, in quo hoc opusculum post Heroicum legitur. ei igitur libro, per quem solum Philostrati minoris memoria ad nos pervenit et in quo tota opusculi huius salus posita est, describendo primum operam nos dare par est, enarratione usos accuratissima quam Henricus Schenkl Caroli f. suppeditavit, cuius ipsius verba referre iuvat.

‘Codex Laurentianus, qui olim fuit totus membranaeus, exarari coeptus est sub initium saeculi XII.¹⁾ ex

1) codice iterum iterumque tractato certissimum hoc de scripturae aetate iudicium esse affirmare posse mihi videor.

iis quae tunc descripta sunt, iam restant, ab eodem amanuensi scripta, *Gymnastici* ultima pars (fol. 1), *Heroicus* (fol. 2—44), *Philostrati minoris Imagines* (fol. 45—62). *Menandri et Philistionis sententiae* a *Studemundo editae*¹⁾ quae priorem tantum paginam folii 114 complent. hic postquam primarius scriba substitit, membranae iacuisse videntur, donec saeculo XII exeunte vel XIII ineunte alter quidam librarius pergamena usus est ita, ut statim a summo folio 114 verso ut aiunt exorsus minutioribus ductibus *Themistii paraphrasin* in *Aristotelis Analytica posteriora* exararet²⁾; idemque totius libri quaterniones numeris signavit. at deinde libellus iste fata sua habuit eaque satis misera; nam ita male tractatus est, ut prioris partis undecim integri quaterniones atque finis *Themistiani libri* (nam folia 155—171 saeculo XV suppleta sunt) perirent, e reliquis autem multa folia evellerentur cui iacturae saeculo XV aliqua saltem ex parte meder studuerunt homines duo, quorum alter fol. 126 atque finem paraphrasin *Themistianae* supplevit, alter *Philostrati maioris Imagines* in chartis bombycinis eiusdem fere magnitudinis saeculo XIV exaratas vetustiori libro insereret, codicem ipsum pessime habitum, utpote initio ac fine carentem quae saeculo XV addita sunt. his igitur chartis (quibus cum vetustiore libro membranaceo nihil commune esse vel inde cognoscitur, quod quaterniones peculiaribus numeris notati sunt) missis iam quae de veteris libri condicione erui potuerunt in tabulam redacta proponam moneo, quae deperdita sunt, uncis quadratis inclusa esse quaternionum autem numeros qui propter margines ab scissos iam non apparent, rotundis.

1) cf. *Ind. lect. Vratislav.* 1887.

2) *Themistii Analyticorum Posteriorum paraphrasin* ed. M. Wallies (*Commentaria in Aristotelem graeca* vol. V pars. 1) p. VIII ubi minus recte *Philostratum* atque *Themistium* eodem tempore exaratos esse contendit, qui *Themistium* excussi G. Kroll.

| quaternionum numeri | folia | codicis folia | prima verba | ultima yerba |
|------------------------|--|--|---|---|
| [α', β', γ'] | — | — | — | — |
| [δ'] | [I] II III—VIII | 1 2—7 | Gymnast. 292, 7 K. στιλπνοὺς Heroic. ab initio | usque ad finem ὁμοῦ τε 139, 19 K. |
| (ε') | I—VIII | 9—16 | 139, 19 καὶ κατὰ ἐν | ἤρω τίς 152, 29 |
| [ς'] | [I—VIII] | — | [152, 29 ξυγγνώμη | οἱ μὲν 165, 27] |
| (ζ') | I—VIII | 17—24 | [165, 27 γὰρ παιδάρια | μᾶλλον 177, 32 |
| (η') | I—VIII | 25—32 | 177, 32 ἢ τὰ | πολεμικὸν 189, 30 |
| (θ') | I [II, III] IV, V [VI] VII VIII | 33 — 34, 5 — 8 36 | 189, 30 ἡγεῖτο [191, 12 τοῖς 194, 18 ἐν οἷς [197, 18 Χείρων 199, 4 ξυλλεγομένου 200, 23 καὶ παρὰ | θανυμασιώτερον 191, 12 Πέρσην 194, 18] αὐτὸν δ' 197, 18 μητέρων 199, 4] φησὶ 200, 22 καὶ 202, 9 |
| ι' | I, II [III—VI] VII, VIII | 37, 38 — 39, 40 | 202, 9 πλείους [205, 7 Τρωάδων 211, 9 καὶ οὐδὲ | ἱεροῦ τῶν 205, 7 πέπραται 211, 9] πόντον 214, 15 |
| ια' | I—IV V, VI [VII VIII] | 41—44 45, 46 — 47 | 214, 15 εἰλεῖται Phil. min. Imagg. ab initio deest 6, 23 σθαὶ | usque ad finem ἐντεῦθεν 6, 22] Ἀπόλλων γέ 8, 19 |
| ιβ' | I—VIII | 48—55 | 8, 19 γραπται | τοῦ βλέμ 26, 14 |
| ιγ' | I—VII [VIII] | 56—62 | 26, 14 ματος deest | πόδα 40, 16] |
| [ιδ'—κα'] | — | — | desunt | |
| κβ' | I recto I verso et II—VIII | 114 ^r 114 ^v et 115—121 | Menandri et Philistionis colloquium Themistii para- phrasis ab initio | 10, 26 Wallies αὐτό |
| [κγ'] | [I] II—V [VI] VII, VIII | — 122—125 126 127, 128 | [10, 26 κατὰ 12, 8 τὸ μὲν saec. XV suppl. | — 12, 8 φύσεως] |
| κδ' | I—VIII | 129 ¹⁾ | | |

1) cetera enotare operae pretium non est.

Iam ex his quae ipse liber quasi voce emissa de fatis suis testificatur, nonnulla eaque certissima nobis concludere licet. Atque statim quidem apparet initio libri excidisse ante fol. 1 folia 25, unde facili negotio computatione instituta efficitur (quoniam primarius scriba in singulis paginis 26 versus, in foliis 52 describere solebat, quae 51 versibus editionis Kayserianae quae apud Teubnerum prodiit aequari possint) ante fol. 1 desiderari fere 1275 versus Teubnerianos. at cum Philostrati Gymnasticus, qualis in libro olim a Myna reperto nunc in Parisinam bibliothecam illato traditur lacunis aliquantum deformatus, 1024 tantum versus complectatur (e quibus 36 in primo folio Laurentiani etiam nunc leguntur), iam sequitur aut ante Gymnasticum olim in libro Laurentiano exstitisse tractatulum quendam brevissimum 287 fere versuum i. e. quinque foliorum (nam titulis aliquantum spatii concedendum esse intellegitur) aut, quod mihi quidem verisimilius videtur, Gymnastici exemplar, quale olim in Laurentiano legebatur illis ipsis quattuor foliis locupletiore fuisse eo, quo nunc utimur. huic autem opinioni ipsa Gymnastici verba suffragari videntur haud paucis lacunis deformatata atque decurtata. sed de his iudicium differre praestat, donec iusta opusculi editione, quam a Iulio Jüthner parari audimus, fundamentum certum iactum sit.

Ad Philostrati minoris *Images* inde transeuntibus nobis primum quidem observare licet, inter folia 46 et 47 unum excidisse folium, hoc est editionis Kayserianae versus 51, nostrae fere 50; deinde inter folia 62 et 114 desiderari quaterniones integros octo, folia codicis 64, in quibus exaratos olim fuisse intelligitur editionis Kayserianae versus 3264 vel paginas 102. quae num omnes ad Philostrati opusculum pertinuerint, nos ignorare fatendum est; attamen ipsius operis indole in auxilium vocata coniecturae non prorsus futtili locum dare nobis liceat. etenim ex *Imaginum* titulo, in quo *βιβλίον πρῶτον* legitur, patet nepotis opusculum in plures libros divisum

fuisse. ac si reputaveris nepotem avi exemplum studiose imitatum esse, a vero haud alienum videbitur eum eodem modo quo avum duos imaginum libros conscripsisse. prior Philostrati maioris liber XXXI, alter XXXIII capita complectitur, prioris libri nepotis pars quae restat capita XVII unde fortasse conicere possumus non exiguam huius libri partem simul cum altero intercidissee. Philostrati maioris Imagines ab hominibus aetatis Byzantinae diligenter lectitatas esse iam magno codicum numero, qui ad nostram memoriam pervenerunt, evincitur, contra nepotis opusculum paene neglectum esse eo quod duo tantum nobis codices, quibus id continetur, praesto sunt comprobatur.¹⁾

Laurentianum LVIII 32 (*F*) supra a nobis descriptum saeculi XII esse diximus, Parisiensis 1760 (*P*), olim Colbertinus 4958, saeculo XV exaratus est. quodsi Kayser in praefatione editionis Turicensis dixit Philostrati minoris librum praeterea in Vaticano 87 inesse, erravisse virum doctissimum scito. qua de re iam edoceri potuit accurata huius codicis inter Lucianos notissimi descriptione, quam B. Hase dedit (cf. *Notices et extraits* VIII 2 p. 142 sq.). adde quod G. Weinberger, qui hunc codicem evolvit, testatur in eo hunc libellum non exstare. inductus est autem in errorem Kayser a Philippo Mercuri, qui in interpretatione Italica Philostratorum Imaginum Callistratique Descriptionum, quae prodiit Romae a. MDCCCXXVIII, vol. II p. 145 sqq. scripturas, quas ex codicibus Vaticanis se enotavisse dicit, adtulit. atque eas quas ad Callistrati Descriptiones adscripsit se ex Vaticano 87 petiisse ipse diserte adfirmat, de lectionibus Philostrati maioris Imaginibus adiectis unde eae haustae sint non refert, sed manifestum est eas ex eodem Vaticano fluxisse. quae vero ad Philostrati minoris opusculum ab eo enotatae sunt scripturae et perexiguae sunt

1) respexerunt hunc libellum ex scriptoribus aetate inferioribus Callistratus et Himerius. ad verba ἀθροίζων ἐννοίας (34, 1) contulit Kayser Heliodori locum I 21 (p. 27, 10 H.).

numero et levissimae adque unam omnes e Iacobsii editione compilatae.¹⁾ denique scias nos quamquam plurimum operae in ea re consumpsimus, in bibliotheca Vaticana codicem, quo Philostrati minoris opusculum continetur, investigare non potuisse.

Fefellit spes, quam moverat notitia libri cuiusdam Londinensis, bibliothecae regiae quae vocatur vetustae nunc in Museo Britannico adservatae (Old Royal Library) cod. 16 D XII a G. Weinberger communicata, quo libro Ioannis Tzetzae scholia in Icones Philostrati iunioris contineri Casley, qui catalogum illius bibliothecae confecit, testatur. nam cum viros, qui Musei Britannici libros manuscriptos custodiunt, per litteras hac de re adissemus, statim a F. G. Kenyon viro doctissimo benigne responsum est ad maioris Philostrati Imagines opusculum illum spectare voculaeque iunioris in libro nec volam nec vestigium inveniri, cum talis sit inscriptio: *Σχόλια εἰς τὸ περὶ εἰκόνων Φιλοστράτου ὑπὸ Τζέτζου.*

Iam vero ut Laurentianus optimae notae liber est, quo tamquam certissimo duce in re critica administranda uti possis, ita deterrimus Parisiensis, utpote omnis generis vitiis, et lacunis et corruptelis, inquinatus atque ita deturpatus, ut si Laurentianus interiisset, de vera scriptura restituenda omnino desperandum esset. ac sero tandem

1) Iam ut ipse iudicium facere possis, Mercurii adnotationunculas proponam: 3, 4 *προεῖληπται τι. τι* abest in Cod. 5, 7 *στρυφάν.* in Cod. *στρυφνάν* (Is. *στρυφνάν* marg. Morell.). 8, 17 *ὑπὲρ* (Ald.). *ὑπὸ* (F.). 9, 10 *ὁρᾷς δέ πον.* Vulgo *ὄρα δέ πον* (sic Ald.). 12, 4 *ἐμβολήν.* Vulgo *βολήν* (sic Ald.). 13, 24 *ὑπαρχος· ὑπόχρος* (*ὑπόχρος* Ald.). 15, 1 *ὅκ ἀποπηδῶντες· ἀποπηδῶν* (Ald.). 16, 16 *τό τε ὄμμα οὐκ· ὄμμ' οὐκ* (Ald.). 21, 8 *μέτριον* (Morelli)· *μέτρον* (Ald.). 30, 3 *τέ τις· τε τίς* (Olearius). 33, 14 *ποῦ* (Iacobsii coniectura)· *ποῖ*. 34, 1 *διαμέλλεις· διαμέλεις* (Iunt.). 35, 8 *οὐκοῦν· οὐκ οὖν* (F.). 38, 15 *ἔρρισμα· ἔρρισμα* (Iunt.). 38, 24 *δέδειδι· δέδειδι* (Ald.). 41, 2 *διαβόρω· διαφόρω* (Ald.). vides lemmata editionis Iacobsianae, qua usus est Mercuri, scripturas esse; ea autem quae lemmatis adposita sunt omnia in Iacobsii adnotationibus leguntur.

factum est, ut hic liber egregius in auxilium vocaretur. primus enim F. Iacobs eum adhibuit collatione a F. de Furia accepta usus. accuratorem eius notitiam habuit Kayser eiusdem de Furiae litteris de singulis locis edoctus. sed restabant non paucae neque inanes dubitationes. quam ob rem G. Weinberger denuo hunc librum totum in usum nostrum contulit; postea H. Vitelli, quae est eius benignitas atque in hominum doctorum studiis iuvandis liberalitas, non solum locos aliquot iterum exploravit, sed etiam nonnumquam ipsis litterarum apicibus compendiisque diligenter effectis scripturas illustravit. denique H. Schenkl cum huius editionis plagulis totum librum non sine fructu denuo contulit. qua ex re non exiguum ad genuina scriptoris verba restituenda emolumentum redundavisse omnes qui vel obiter hunc librum inspexerint intellecturos esse speramus. Parisiensem a nemine adhuc integrum excussum — Iacobs eum prorsus neglexerat, Kayser tantum prima capita ab E. Millero collata habuit — examinavit C. Schenkl.

Quodsi quaeritur num statuendum sit Parisiensem ex Laurentiano profectum esse, statim respondendum est nihil esse certius, quoniam lacuna illa, quae in codice *F* 6, 22 post *ἐντεῦθεν* folio uno deperdito orta est, in *P* quoque observatur; unde manifestum fit Parisiensem librum e Laurentiano iam mutilato fluxisse. neque aliter iudicandum esset, si argumento isto modo prolato uti non liceret; nam facile observatur vitia, quibus *F* adfectus est, et corruptelas et lacunas codici *P* quoque communia esse. quid? quod ne tantillum quidem libro recentiori tribuere licet, ut editionem Aldinam priorem, quacum ceterae editiones veteres plane consentiunt, ex apographo huius libri manasse existimemus. obstant inprimis litterae illae *σθα* (6, 23) post lacunam in primo fol. 47 codicis Laurentianae exaratae, quae in Aldina religiose servantur, a Parisiensis libri amanuensi, officio suo neglegenter functo, omissae sunt. sunt et alii loci, quibus Aldinae exemplar Parisino aliquantum praestare efficitur. atque hoc quidem

constat et Parisinum et Aldinae archetypon e communi quodam fonte fluxisse, codice scilicet e Laurentiano descripto sed corruptelis et interpolationibus satis deformato, quamquam negari non potest hic vel illic leviores Laurentiani corruptelas feliciter emendatas esse. altius in ista inquirere non iuvat; qui curiosius cineres perscrutari gestiunt, appendicem adeant huic praefationi adiunctam, ubi Parisini et Aldinae lectiones compositae inveniuntur.

Missio igitur Parisiensi et Aldina quatenus libri *F*, in quo uno omnia posita sunt, condicio sit inquiramus. ac primum quidem, ut de lacunis verba faciamus, uno saltem loco (21, 16) codicis *F* librarius spatio vacuo post *αὐτὰ* relicto simulque accentu omisso satis luculenter indicavit se exemplaris quod exscribebat ductus dispicere non potuisse. de quo loco iam C. Schenkl in Mel. Vind. vol. XXI p. 41 exposuit. etenim haec ibi leguntur: *διωγαλῶν αὐτὰ . . . νάματος τὸ ξεῦμα μέτρον* (*P μέτρον*, quod in Morellii quoque editione legitur sine dubio e Parisiensi sumptum). probavit lectionem *μέτρον* Iacobs, sed addidit nonnihil se dubitare an hic locus sincere legatur. ac re vera de integritate huius loci quam maxime dubitari potest. nam et obscura sunt haec verba neque ullo cum eis quae antecedunt modo coniuncta. Kayser verba *καὶ τὸ ξεῦμα μέτρον* uncinis inclusit eumque secutus est Westermann. verum ut concedas *τὸ ξεῦμα μέτρον* ferri non posse, tamen ea verba a librario vel scholiasta adiecta esse vix tibi persuadebis. quae cum ita essent, C. Schenkl olim lacunam statuit hoc fere modo explendam: *<διανγὲς τὸ τοῦ ποταμοῦ ὕδωρ καὶ>* *τὸ ξεῦμα μέτρον*. certe hoc enuntiatum, si quae praecedunt respereris, haud otiosum tibi videbitur atque fluminis, quod in pictura non parvi momenti est, descriptio cum eis quae proxime sequuntur *στρατιὰ τε ἐκατέρωθεν* aptissime conectitur. alter eiusmodi locus exstat 36, 5, ubi post *σκό^π'* illud, in quo vitii sedem esse quisvis facile concedet, spatium aliquanto maius quam quo singula vocabula in codice distingui solent apparet. utrobique autem quod

scripturam traditam licet corrupta sit retinere maluimus quam coniecturis incertis receptis memoriam libri pretiosissimi obscurare, opprobrio nobis non datum iri confidimus. tertiam denique lacunam in verbis 16, 22 *αὐτὴν τε ἄρρητον ἐκδεικνύσα τοῦ προσώπου τὴν θεὸν* statuendam esse suspicatus est Th. Gomperz. vidit enim vir doctissimus, cum illud Solis generis insigne (τὸ τῶν Ἡλιάδων γνῶρισμα) his verbis tam obscure, ut vix intellegi possit, significetur, *αὐγὴν* restituendum esse, quod perbene convenit Apollonii Rhodii versibus III 727 sqq., quos quin Philostratus respexerit¹⁾ dubitari non potest. coniectura autem *αὐγὴ* recepta lacuna hunc locum adfectum esse satis probabile fit, quam Gomperz his verbis <καὶ λαμπρὰν παρέχουσα> post *ἐκδεικνύσα* insertis sarcire studuit. at concedendum est Philostratum minorem, dum orationem modo luminibus atque elegantibus undique conquisitis onerat magis quam ornat, modo simplicitatis fucatae studiosus rude paene atque incultum dicendi genus affectat, tam miro saepe sermone uti, ut quid in tali scriptore ferri possit quidque librariis aut grammaticistribuendum sit haud facile expedias. magnam omnino cautionem in eiusmodi lacunis statuendis adhibendam esse satis ostenditur eis quae disputavit C. Schenkl Mel. Vind. XXI 41 sqq.

Interpolationis ne unum quidem vestigium in *F* extare pro comperto habemus neque necessarium esse putamus, ut quas de locis aliquot Kayser movit dubitationes²⁾ refellamus. sane uno loco certa deprehenditur interpolatio, dico illud *ἵππου* 12, 2, quod reiectum a Wakefieldo et Iacobsio recte Kayser secluserat: sed *ἵππου* manu altera in parva rasura scriptum est in versus exitu ita, ut eius fines aliquantum excedat. unde iam patet ama-

1) verbo *αὐγὴν* reddidit id quod apud Apollonium legitur *αἴγλην*. scholiasta ad v. 725 haec adscripsit: *ἀπὸ τῆς τῶν ὀφθαλμῶν διάνγεις*.

2) v. 6, 1; 12, 19; 31, 2; 32, 2; 34, 19 et cf. Mel. Vind. XXI 40 sq.

constat et Parisinum et Aldinae archetypon e communi quodam fonte fluxisse, codice scilicet e Laurentiano descripto sed corruptelis et interpolationibus satis deformato, quamquam negari non potest hic vel illic leviores Laurentiani corruptelas feliciter emendatas esse. altius in ista inquirere non iuvat; qui curiosius cineres perscrutari gestiunt, appendicem adeant huic praefationi adiunctam, ubi Parisini et Aldinae lectiones compositae inveniuntur.

Missio igitur Parisiensi et Aldina quanam libri *F*, in quo uno omnia posita sunt, condicio sit inquiramus. ac primum quidem, ut de lacunis verba faciamus, uno saltem loco (21, 16) codicis *F* librarius spatio vacuo post *αὐτα* relicto simulque accentu omisso satis luculenter indicavit se exemplaris quod exscribebat ductus dispicere non potuisse. de quo loco iam C. Schenkl in Mel. Vind. vol. XXI p. 41 exposuit. etenim haec ibi leguntur: *διωγαλίων αὐτα . . . νάματος τὸ ξεῦμα μέτριον* (*P μέτριον*, quod in Morellii quoque editione legitur sine dubio e Parisiensi sumptum). probavit lectionem *μέτριον* Iacobs, sed addidit nonnihil se dubitare an hic locus sincere legatur. ac re vera de integritate huius loci quam maxime dubitari potest. nam et obscura sunt haec verba neque ullo cum eis quae antecedunt modo coniuncta. Kayser verba *καὶ τὸ ξεῦμα μέτριον* uncinis inclusit eumque secutus est Westermann. verum ut concedas *τὸ ξεῦμα μέτριον* ferri non posse, tamen ea verba a librario vel scholiasta adiecta esse vix tibi persuadebis. quae cum ita essent, C. Schenkl olim lacunam statuit hoc fere modo explendam: *<διανγῆς τὸ τοῦ ποταμοῦ ὕδωρ καὶ>* *τὸ ξεῦμα μέτριον*. certe hoc enuntiatum, si quae praecedunt respereris, haud otiosum tibi videbitur atque fluminis, quod in pictura non parvi momenti est, descriptio cum eis quae proxime sequuntur *στρατιά τε ἐκατέρωθεν* aptissime conecitur. alter eiusmodi locus exstat 36, 5, ubi post *σκό^{Π'}* illud, in quo vitii sedem esse quivis facile concedet, spatium aliquanto maius quam quo singula vocabula in codice distinguere solent apparet. utrobique autem quod

scripturam traditam licet corrupta sit retinere maluimus quam coniecturis incertis receptis memoriam libri pretiosissimi obscurare, opprobrio nobis non datum iri confidimus. tertiam denique lacunam in verbis 16, 22 αὐτὴν τε ἄρρητον ἐκδεικνύσα τοῦ προσώπου τὴν θέαν statuendam esse suspicatus est Th. Gomperz. vidit enim vir doctissimus, cum illud Solis generis insigne (τὸ τῶν Ἡλιάδων γνῶρισμα) his verbis tam obscure, ut vix intellegi possit, significetur, αὐγὴν restituendum esse, quod perbene convenit Apollonii Rhodii versibus IIII 727 sqq., quos quin Philostratus respexerit¹⁾ dubitari non potest. coniectura autem αὐγὴ recepta lacuna hunc locum adfectum esse satis probabile fit, quam Gomperz his verbis <καὶ λαμπρὰν παρέχουσα> post ἐκδεικνύσα insertis sarcire studuit. at concedendum est Philostratum minorem, dum orationem modo luminibus atque elegantibus undique conquisitis onerat magis quam ornat, modo simplicitatis fucatae studiosus rude paene atque incultum dicendi genus affectat, tam miro saepe sermone uti, ut quid in tali scriptore ferri possit quidque librariis aut grammaticistribuendum sit haud facile expedias. magnam omnino cautionem in eiusmodi lacunis statuendis adhibendam esse satis ostenditur eis quae disputavit C. Schenkl Mel. Vind. XXI 41 sqq.

Interpolationis ne unum quidem vestigium in *F* extare pro comperto habemus neque necessarium esse putamus, ut quas de locis aliquot Kayser movit dubitationes²⁾ refellamus. sane uno loco certa deprehenditur interpolatio, dico illud ἔππου 12, 2, quod reiectum a Wakefieldo et Iacobsio recte Kayser seclussit: sed ἔππου manu altera in parva rasura scriptum est in versus exitu ita, ut eius fines aliquantum excedat. unde iam patet ama-

1) verbo αὐγὴν reddidit id quod apud Apollonium legitur αἴγλην. scholiasta ad v. 725 haec adscripsit: ἐπὶ τῆς τῶν ὀφθαλμῶν διάνυσιας.

2) v. 6, 1; 12, 19; 31, 2; 32, 2; 34, 19 et cf. Mel. Vind. XXI 40 sq.

nuensem quandam ut haberet quo referretur *παύρον* levi errore ex *ταύρον* ortum commentum illud intulisse.

In iis rebus quae ad orthographiam pertinent nos Laurentianum secutos esse per se intellegitur. eo igitur duce scripsimus *γίνεσθαι* et *γινώσκειν* neque ab eo, qui modo *ἐς* et *ἐν*, mode *εἰς* et *ὅν*, modo *ττ*, modo *σσ* praebet, ullo loco recessimus eandem quae in Philostrati maioris Imaginum editione observata est rationem amplexi.

Superest ut quo modo commentarios adornaverimus paucis exponatur. Laurentiani igitur scripturas omnes levisimis quibusdam neglectis recepimus, Parisiensis vero et Aldinae, ne inutili mole adnotatio oneraretur, eas tantum, quae alicuius momenti esse videbantur.¹⁾ similiter ex coniecturis virorum doctorum, qui post Iacobsium et Kayserum huic libello emendando operam dederunt²⁾, selectas adtulimus. Reiskius, qui tot egregias ad Philostrati maioris Imagines emendandas observationes contulit, minorem obiter tantum inspexit, Callistratum autem plane neglexit. qua de re vide quae disputavit C. Schenkl Mel. Vind. XV 208.

Iam vero quae inter Philostrati maioris et minoris, qui ipse avi sui librum se imitatum esse dicit, Picturas ratio intercedat et quo modo minoris liber compositus sit explicandum esse putamus. qua in re magno opere do-

1) Ne quid suppellectilis ad artem criticam exercendam desideraretur, duobus laterculis praefationi adiectis et Laurentiani et Aldinae librique Parisiensis scripturas in adnotationem non receptas composuimus. praeterea monemus eas quae ad anon. Ald. Gott. referuntur lectiones in Aldinae editionis exemplari Gottingae adservato a viro quodam docto adscriptas esse (cf. Iacobs p. 591), quae ad anon. Ald. Olear., ab Oleario adferri ut e marginibus alius cuiusdam Aldinae exemplaris petitas (ib. p. 592).

2) Cf. H. Brunn, Symb. phil. Bonn. I 446; R. Hercher, Herm. VIII 110; Hertlein, Herm. VIII 363; Piccolos, Journ. d. Sav. 1849 p. 762, 2; G. A. Pappabasilios eph. quae inscribitur *Ἀθηνα* VIII 460 sq.

lendum est nepotis opusculum non integrum ad nos pervenisse. ac primum quidem si prooemia ab utroque addita respicimus, locis quibusdam inter se collatis aperta imitatio conspicitur, veluti *3, 3 et 4, 1¹), quo loco de poetica et pictura vinculo quodam coniunctis agitur, vel *4, 2 et 4, 2, ubi quomodo pingendi arte animi adfectus exprimantur isdem fere verbis usus uterque exponit. adde quod in hoc et illo prooemio similis est clausula. nam maior porticum in urbe Neapoli picturis amplissime ornatam sibi ansam ad imagines componendas dedisse refert, minor brevius neque ullo loco nominato se, cum in tabulas artis praecipuae incidisset, silentio eas praeterire noluisse dicit. enarrandi autem rationem uterque eandem secutus est. ac maior item uberius exponit, quomodo factum sit ut orationem ad puerum quendam converteret. minor brevioribus usus verbis addit cogitandum esse aliquem adesse, cui singulae deinceps imagines enarrentur. ceterum et hic et ille in describendo eandem allocutionem ὁ παῖ adhibent.

His de utriusque scriptoris prooemiis expositis iam ad singulas imagines, quae de nepotis libro restant, examinandas accedamus. primo igitur loco duae tabulae positae sunt inter se respondententes et tamquam gemellae, quarum altera Achilles in Scyro insula virginis habitu occultatus, altera Pyrrhus in gregibus administrandis occupatus. in priore imagine eiusdem Sophoclis Scyrios, in altera Dolopes respexisse scriptorem Welcker coniecit; quae tamen opinio eo redarguitur, quod a Sophocle Scyriis Neoptoleum, Euripidis vero fabula cognomini Achillem tractatum fuisse satis constat post ea quae exposuit C. Robert 'Bild und Lied' p. 34. at quominus scriptorem ἀνευόδεα illud (5, 8) e Sophoclis Scyriis mutuatum esse putemus, nihil obstat. imago quae Marsyas inscribitur quasi supplementum est imaginis a maiore descriptae

1) ut et brevitati et perspicuitati consuleretur, maioris Philostrati locis stellulas adpinximus.

(I 22), qua certaminis inter Marsyam et Apollinem et Midæ iudicii mentio inicitur. tertia respondet quodammodo picturae, quae in avi libro priore est duodecimesima, differt tamen ab illa eo, quod in hac venatores in ipso venandi opere versantes depinguntur, in illa venatione peracta ex labore se reficientes. Herculis res gestae quattuor imaginibus illustratas habes apud nepotem (III V, XII, XVI), apud avum de isdem quinque picturis agitur quae omnes in libro posteriore continuo ordine leguntur (XXI—XXV). sexta imago, cui titulus est Orpheus similis est ei qua maior I 10 Amphionem proposuit. non desunt loci, in quibus certissima imitationis vestigia continentur in Orpheus et Amphionis descriptione; cf. 15, 2 et *22, 11. 29. sequuntur duae imagines, quae ad Argonautarum expeditionem pertinent (VII et VIII), ac postea tertia addita est, qua de eadem re agitur (XI). atque facile cognoscitur Apollonium carmine suo sicut olim pictori materiam ita postea Philostrato artificis tabulae descripturo sententias atque colores suppeditasse. non eandem materiam tractavit minor, quam maior duabus tabulis explicavit (I 17 et 30). frequentes sane in huius et illa similitudines inveniuntur; cf. 19, 11. 24 et *324; 59, 4; 19, 12 et *58, 11; 19, 15 et *35, 2; 20, 2 sqq. et *58, 17 sqq. capitis decimi summa clippeae descriptio, cetera brevius ut solet perstringit scripta duodecima tabula vinculo quodam coniuncta est cum ea quae in maioris libro priore est undetricesima. quae tertia decima, qua Sophocles celebratur, ei, qua maior Pindari effigiem enarravit, similis sit, neminem late putamus. videas quaeso quam conveniat paeanis a Sophocle in Aesculapii honorem compositi commemorat cum eis, quae de hymno a Pindaro Panis dicato apud maiorem referuntur. colores, quibus exornavit nepos locum 34, 14, sumpsit ex avi verbis quae leguntur *85, 19. qui ex re id quoque colligitur Welckeri coniecturam, qui verbis 34, 13—15 versus cuiusdam poetae latere putavit atque trimetros refingere conatus est, minime comproba-

posse.¹⁾ capite quarto decimo eadem fabula atque libri prioris capite XXIII apud maiorem explicatur. sed dum hic Hyacinthus iam percussus disco et mortuus describitur, illic habes adstantem eum Apollini amorem suum fatenti. disco ad pedes adposito quae ei sors eventura sit significatur simulque id diserte ultimis verbis indicatur. imitationis vestigia conspiciuntur in verbis *47, 13 et 36, 8; *48, 2 et 36, 14. vides quoque quomodo hic Zephyrus improbus ridens mortisque pueri laetans describatur, illic torvis oculis invidiae plenis amantes contemplan. restant duae tabulae, quibus in maioris Imaginibus nulla respondet vel similis est, XV et XVII. in capite ultimo nunc mutilato, quod Philocteta inscribitur, versus ex cognomine Sophoclis fabula adfertur et fortasse verbo *δάμνα* (40, 16) ad ea adluditur, quae in eiusdem fabulae vv. 39 et 274 leguntur. unde conicias scriptorem in eis quoque quae interciderunt, dum tabulam propositam fideliter atque accurate enarrat, a Sophocleae fabulae argumento non multum deflexisse; nihil enim verisimilius quam a pictore Neoptolemum Philoctetae adpropinquantem fictum esse, Ulixem autem in recessu latentem atque in prodeundi occasionem intentum.

Philostratum minorem avi sui dicendi genus tamquam exemplum imitandum sibi proposuisse utriusque libris inspectis nemo non intellegit. quae res et in sermone universo et in singulis locis cernitur.²⁾ animadvertas quoque verba quaedam poetica vel minus usitata in hoc et illo inveniri, veluti ut pauca adferam: *ἀγέρωχος*, *ἀκραιφνήης*, *ἀπέρριτος*, *ἀποτορνέω*, *ἀφερμηνεύω*, *βλοσυρός*, *πλωτήρ*. verum non solum Imagines Philostrati maioris nepos respexit, sed etiam Apollonii vitam atque in primis Heroicum, id quod locorum indice infra adiecto satis demonstrabitur.

Quibus expositis iam restat ut de fide scriptoris vel,

1) cf. Meinekii Com. Graec. fragm. III 655.

2) vide quae in locorum indice enotata sunt.

ut accuratius dicamus, de eo agatur, utrum descriptionum quas proposuit argumenta ipse invenerit an eas ex picturis quas viderat adumbraverit. de hac re iidem viri docti, qui in quaestione quaenam fides Philostrato maiori tribuenda esset expedienda versati sunt, disputaverunt. quorum nomina simul cum titulis librorum ab eis conscriptorum in appendice congesta habes. quodsi quidam num avus descriptiones suas ad picturarum quas ipse conspexerat exempla conformavisset dubitaverunt, ad suspiciones quas illi moverunt in nepotis imaginibus id accedit, quod, qua de re modo exposuimus, in huius libro permultis locis aperta operis ab avo confecti imitatio atque in singularum picturarum argumentis et describendi ratione et scribendi genere manifesta similitudo conspicitur. deinde neminem fugere potest scriptorem in imaginibus illustrandis se haud raro ad poetarum quorundam locos adplicare, cuius rei exempla quaedam modo adtulimus, plura in indice congessimus, neque semper in descriptionibus certum quoddam actionis propositae momentum temporisque quo ea perficitur vestigium facile cognosci posse. nihilominus tamen ne hae quidem res ad probandum sufficiunt descriptiones eius fictas atque commenticias esse. immo nobis, si vere de eo iudicare volumus, reputandum est quo consilio ductus hunc librum confecerit. ac primum, quicumque imaginum delectum respererit simulque ea quae de libelli consilio ipse auctor in prooemio exposuit rationis habuerit, eum in picturis praeter adfectuum expressiones pulchrasque figurarum singularum proportionem maxime delectavisse inveniet argumenta ex fabulis antiquis petita ut a poetis verbis ita a pictoribus lineamentis coloribusque illustrata. atque ut hanc quae inter poesin et pingendi artem intercedit rationem explicet, ex picturis studiose deligit eas, quibus in fabula oculis legentium vel intuentium proposita quasi quoddam poetae et pictoris certamen exhibebatur. non igitur mirum nobis videbitur eum in eiusmodi picturis explanandis ipsis poetarum, qui de his fabulis

egerunt, verbis usum esse. altera autem imaginum ab eo explanatarum pars eo consilio electa esse uidetur, ut iis cum avi descriptionibus collatis exemplaris imitationisque similitudo conspiceretur; nam ipse se avum imitari voluisse dicit atque ut minorem cum maiore aemulari.

Iam vero cum Pompeiis effossis satis compertum sit temporibus Caesarianis in hominum locupletum aedibus ingentem picturarum numerum fuisse, quibus vel argumenta ex fabulis antiquis hausta vel regionum formae effectae hominumque figuris ex historia fabulari sumptis tamquam parergis ornatae vel vitae cotidianae illustrationes, veluti venationes continebantur, concedes profecto, in tanta ubertate nequaquam imagines defuisse ita comparatas, ut Philostrato ansam et materiam praeberent consilii quod modo exposuimus capiendi atque perficiendi.

Imagines autem illae a Philostrato descriptae sane conferri non possunt cum picturis in vasibus saeculi VI vel V a. Chr. n. neque cum picturis artificum magnorum saeculi V vel IIII a. Chr. n., de quibus scriptorum exstant testimonia; immo picturarum, quae in parietibus aedium Pompeianarum conspiciuntur, ratione habita eas nobis cogitatione effingemus. quasdam autem vel posteriore aetate ortas esse certissimum est. quam ob rem ut imaginem earum nobis animo informare possimus, praeter raras posterioris aetatis picturas parietarias ectypa, opera vermiculata, denique picturas in libris manu scriptis, quae ex ultimis temporum Caesarianorum saeculis servatae sunt, in auxilium vocari necesse est.¹⁾ multa enim in his insunt documenta, quibus artis opera aetatis Caesarianae inferioris saepenumero ad exemplum descriptionum, quae in poematis exstabant, ficta esse comprobatur. simul iis edocemur uno eodemque opere haud raro eiusdem actionis

1) conferas quaeso ea quae F. Wickhoff in editione Genesis Vindobonensis, quam G. de Hartel curavit, p. 83 sq. exposuit.

duo vel tria momenta ita exhibita fuisse, ut intra eiusdem tabulae fines coartarentur. denique multae quae in Philostratorum descriptionibus conspiciuntur res in eis recurunt. sic, ut unum exemplum proferam, qui regiones urbes fluvios depingere student artifices, etsi iam in tabulis talia expressa sunt qualia oculis videntur, nihilominus tamen insuper feminarum vel virorum figuras adponere solent, quibus sive regiones illae sive urbes sive fluvii etiam luculentius indicentur.

Non minorem autem quam imaginum argumenta describendi genus, quo Philostratus usus est, de fide eius suspicionem movit. sed de hac quoque re quid spectaverit ipse nos in prooemio edocet. etenim praeter imaginum argumenta maxime se delectatum et quasi captum esse significat arte, qua usi pictores oculorum vultusque argutiis animorum adfectiones expresserint et pulchras illas corporum humanorum proportionem effinierint. ac profecto longius excurrit in oculis describendis, in quibus omnis generis adfectus expiscari conatur, et multa verba facit de corporum humanorum quae admiratur pulchritudine atque de habitu eorum motibusque, pauca vero vel nihil etiam profert de imaginum compositione et qua arte singulae figurae dispositae sint atque inter se sociatae. deinde descriptionibus suis probare studet orationem cum pictura omnibus numeris perfecta atque absoluta certare posse; non enim tam picturas describere quam ostendere vult, quomodo orator, si in dicendo a pictura proficiscitur, artis opus, quod illa non inferius esse videatur, effingere possit. denique cum non solum delectare legentes, sed etiam docere cupiat, haud raro adducitur, ut eius rei, quae in pictura proposita est, descriptioni et quae praecesserunt et quae secuta sunt intextat. ac dum ex picturis quae potest interpretari studet, ipsa actionum quae iis continentur momenta accurate definire negligit et quodam dicendi fervore abreptus res quae actiones illas excipiunt tamquam praesentes describit. certe non ei in mentem venerat olim quosdam

futuros esse, qui id agerent, ut descriptionibus eius tamquam fundamento usi picturas quas ille delegerat quodammodo refingerent, sed specimina proponere voluit, quibus probaret quid dicendi artifex pictura quadam respecta de argumento eius, de personarum tamquam in scaena agentium affectibus, denique de pictoris arte imaginisque pulchritudine exponere posset.

De Callistrato, quem veterem usum secuti Philostrato iuniori comitem adiunximus, quis fuerit quoque tempore vixerit nihil omnino compertum habemus nisi quae ex libello ab illo composito, cui nomen Ἐκφράσεις est, colliguntur. ac primum quidem cum certum sit Callistratum in libello suo componendo Philostratorum et maioris et minoris Imagines nonnullis locis¹⁾ imitatum esse, eum post viros illos, i. e. non ante saeculum tertium p. Chr. n. vixisse constat. deinde aliquantum ad tempora accuratius definienda proficimus rationibus, quas in membrorum (quae κῶλα apud Graecos vocantur) clausulis fingendis sequi solet scriptor, diligenter observatis. etenim

1) ex his qui ullius momenti esse visi sunt, omnes in indice locorum adtulimus; plura suppeditabit index verborum studiose excussus. quod vero eadem argumenta et a Callistrato et a Philostratis tractantur, cave ne huic rei nimium tribuas. etenim cum per saecula illa permultos et scriptores et poetas in eiusmodi descriptionibus conficiendis operam posuisse constat, notissima illa velut Medeam et Orpheum (ut de Memnone taceam) iterum iterumque descripta esse pro certo adfirmari potest. infirmiora itaque ista sunt, quam quibus usus Callistratum Philostratorum vestigia pressisse tibi persuadeas. immo si totius operis rationem atque indolem respexeris, plus uno numero Callistratum ab illis discrepare invenies. omnino de his rebus sententiam ferre certam atque absolutam prohibemur eo quod non satis constat, utrum Callistrati libellus integer nobis servatus sit necne; attamen ex iis quae restant, quicunque descriptiones Nicolao et Libanio volgo attributas (cf. Rhet. Graec. ed. Walz vol. I p. 394 sqq. et Libanii ed. Reiske vol. III p. 1046 sqq.) perlegendi laborem taedii plenum non aspernatus erit, statim perspiciet cum nugis illis satis arto cognationis vinculo contineri Callistrati statuas.

facile cognoscitur artificii illius quod in scriptorum Graecorum oratione pedestri inde a saeculo quarti fine adhiberi coeptum esse, inde a saeculo quinto tamquam summam legem dominari perspexit Guilelmus Meyer¹⁾, apud Callistratum multa exempla inveniri. velut in tribus primis capitibus LIII clausulae numerantur quae ad legis illius amussim conformatae sunt, XXI quae ei repugnant. quodsi recte Meyer de huius usus primordiis statuit, Callistratum Themistii fere aequalem fuisse non sine causa conicias. de regionibus denique quas adisse se testatur scriptor, postea agemus, ubi de eius fide disputabimus.²⁾

Plane singularis autem libelli Callistratei in codicibus est condicio. etenim quattuordecim eius capita omnia septem tantum libris continentur, Parisiensi 1038, Laurentiano LVI 20, Monacensi 536, Quiriniano B VII 14, Vaticano 87, Lugdunensi XVIII F 67, Palatino 158. in ceteris partes quaedam tantum huius opusculi insunt. de qua re quo commodius iudicare possint, qui in Callistrati codicibus aestimandis operam collocare student, iam sequatur tabula, in qua singuli codices secundum litterarum ordinem dispositi enumerantur. numeris qui vocantur Romanis quot singulis codicibus contineantur capita indicatur. denique litteris uncis inclusis sigla quibus Kayser in editione maiore usus est significantur.

- | | |
|---|--|
| 1 Baroccianus 68 saec. XV (I). | 5 Lugdunensis XVIII F 67 saec. XVI (I—XIII). |
| 2 Laurentianus LVI 20 saec. XV (I—XIII) (f). | 6 Marcianus XI 15 saec. XV (III—XI, XIII) (p). |
| 3 F Laurentianus LVIII 15 saec. XI (I—V) (F). ³⁾ | 7 Monacensis 494 saec. XVI (I, II) (mon.). |
| 4 Laurentianus LVIII 44 saec. XIII (III — XI, XIII, I, II) (φ). | 8 Monacensis 536 saec. XV (I—XIII) (μ). |

1) cf. eius libellus 'Der accentuierte Satzschluss in der griechischen Prosa vom IV. bis XVI. Jahrhundert', Gott. 1891.

2) cf. p. LI.

3) saeculo duodecimo adscribitur a Bandinio, undecimo ab H. Vitelli, qui tamen quicquam obstare negat, quominus hic liber ad saeculum decimum referatur.

- | | |
|--|--|
| 9 Neapolitanus 91 (II C 32) (excerpta). | 15 Urbinas 110 saec. XV (I—VII). |
| 10 Palatinus 158 saec. XVI (I—XIII). | 16 Vaticanus 64 saec. XIII (I—V). |
| 11 Parisiensis 1038 saec. XV (I—XIII) (π). | 17 A' Vaticanus 87 saec. XV (I, II, XII, XIII, III—XI, XIII) (ρ). |
| 12 P Parisiensis 1696 saec. XIII (I—VII) (ρ). | 18 Vaticanus 914 saec. XV (I—III). |
| 13 Parisiensis 3019 saec. XV (III—VI) (ψ). | 19 V Vaticanus 1898 saec. XIII (VIII—XIII). |
| 14 Quirinianus B VII 14 saec. XV (I—XIII). | 20 Vossianus graec. 18 saec. XV (excerpta) (ι). ¹⁾ |

Quorum codicum quae sit auctoritas, quo vinculo inter se coniuncti sint, in quas familias distribuendi, iam explorandum nobis est. initium autem disserendi primaque nobis cura sit, ut nimium codicum numerum quantum fieri potest minuiamus cum eiectis illis libris, quibus sine ullo artis criticae damno carere possimus, tum iis, qui ad unum eundemque librum tamquam fontem redeunt, consociatis.

F' Dubium autem non est quin ex *F'* manaverit Vaticanus 64²⁾ saec. XIII, qui ut ille descriptiones I—V complectitur verbis ultimis capituli quinti omissis. compluribus locis in eo correctoris manus conspicitur, qui ad scripturam emendandam codice quodam Paris. 1696 (*P*) simillimo usus est. velut 50, 9 verba ὅγῳδς μὲν ἦν in eo supra versum adscripta sunt; 50, 1 a manu altera supra τέχνημα scriptum

1) codices 5. 7. 8. 11. 12. 13. contulit C. Schenkl (12. iam ante excusserat I. Zingerle), 1. Henricus Schenkl, ceteros examinavit G. Weinberger. locos aliquot in libris 2. 3. 4. iterum inspexit H. Vitelli, in libris 17. 18. 19. I. Penzl, in 3. 17. 19. H. Schenkl.

2) cuius libri Thessalonicae a. 1270 scripti (unde Laurentianum *F'* quoque olim ibi adservatum fuisse haud immerito concludas) partem ultimam totam a Laurentiano pendere iam dudum H. Usener perspexit. cf. quae exposuit vir doctissimus in Fleckeiseni Annal. a. 1883 p. 146 sqq. et in Dionysii Halic. opusculorum praef. p. XI sq. frustra igitur fuit opera ab Aenea Piccolomini v. d. in codice Vaticano ad Sapphus carmen conferendo consumpta (Herm. XXVII p. 1 sqq.).

est εὑρεμα et 8 γενέσθαι supra εἶναι et sic multis locis scripturas, quae in *P* quoque leguntur, manus altera adpinxit. item ex *F* originem traxisse Vaticanum 914 saec. XV, in quo capita I—III leguntur, manifestum est. is liber negligentissime scriptus corruptelisque omnis generis oppletus uno tantum loco praebet lectionem memorabilem, 48, 16 ἄνθην (ἄνθησιν in ceteris extat) a Kaysero receptam. sed cum ab Atticistis (cf. Moeris p. 4, Thomas p. 127) edoceamur ἄνθησιν a scriptoribus aetate inferioribus eodem modo quo ἄνθην adhibitum esse, certe non est quod contra ceterorum codicum consensum huic uni fidem habeamus. denique cum Vaticano 914 plane conspirat Baroccianus 68, in quo caput primum solum inesse supra indicavimus.

Proximus Laurentiano cognatione est Parisiensis 1696 *P* (*P*) saec. XIII, id quod iam eo comprobatur, quod et ipse verba illa in capite quinto ultimo omittit. quae cum ita sint, iure conicias eum ex eodem fonte quo Laurentianum derivatum esse. nam quominus *P* ex *F* descriptum esse putemus, etsi plerumque inter se conspirant, tamen eo impedimur quod lacuna quae 50, 9 in hoc invenitur — dico verba ὅγος μὲν ἦν omissa — in illo non conspicitur. ex *P* autem profectus est Urbinas 110, quo ut illo capita I—VII continentur.

Deinde observandum est in Vaticano 87 saec. XV de *A* descriptiones hoc modo dispositas esse, ut primam et alteram XII, XIII, III, III, V—XI, XIII excipiant. in Laurentiano LVIII 44, qui iure saeculo XIII adscribitur, desunt capita XII et XIII ac I et II post XIII addita sunt. in Marciano XI 15 saec. XV leguntur capita III—XI et XIII. memorabile autem est quod hos libros ex codice, in quo, sive scriptura evanuerat sive madore obscurata erat, verba quaedam legi non poterant, profectos esse spatiis hic illic relictis comprobatur. veluti 58, 10 in Laurentiano et Marciano legitur . . . ὦνι litteris Ἐλιν omissis. in Vaticano et Marciano 59, 7 scriptum est . . . σιν, in Laurentiano ὀφρύ manu altera adiectum. hisque exemplis multa alia addi possunt, quibus evincitur in communi

trium illorum codicum fonte haud pauca evanida fuisse; cf. 46, 14 ἡ δὲ pro καλή μὲν γὰρ; 48, 9 εἰσι . . . (cum lacuna) pro εἰσιόντι; 50, 3 χαλκός δὲ αὐτὸν ἐτύπου om.; 50, 8 ὅλην om.; 53, 16 ἔβλεπε om. spat. rel. eodem vero spectat, quod capp. I II in Vat. 87 primo loco posita leguntur, in Laur. LVIII 44 in fine operis addita sunt, in Marc. XI 15 non adparent; quod in his tribus libris prima capitis quarti verba desiderantur; quod iidem inscriptione carent praeter Vaticanum, in quo *Φιλοστράτου Ἐκφρασις* librarius scripsit (unde *στράτου* tantummodo in archetypo eum dispicere potuisse conicias) quodque inscriptio εἰς Σάτυρον in Laurentiano deest; denique quod capp. XII et XIII in solo Vaticano leguntur eaque ex antigrafo satis corrupto descripta (cf. spatia vacua relicta 67, 16. 18; 68, 9; praeterea 68, 2 ἀλάλοις γεννησαμένη pro ἀλλήλοις τεχνησαμένη σύμφωνα; 68, 1 δοκοῦσα pro τεμοῦσα), ita ut vix mireris codicum Laurentiani et Marciani amanuenses taedio laboris vel desperatione operis perficiendi captos capita illa tota omisisse. cum denique horum librorum lectiones plerumque inter se conspirent, manifestum est eis unam familiam effici, quam littera *A* significavimus. in capp. XII et XIII vero, in quibus recensendis unus tantum huius classis liber, Vaticanus 87, nobis *A'* praesto est, nota *A'* usi sumus. atque ad eandem familiam referendus est Parisiensis 3019 saec. XV, quo capita III—VI continentur, cum omnibus fere locis cum codicibus illis consentiat.

B Alteri familiae, quae a nobis littera *B* denotatur, adscribendi sunt primum codices quinque, quorum tres saeculi XV sunt, Laurentianus LVI 20⁴), Monacensis 536, Quirinianus *B* VII 14, duo saeculi XVI Lugdunensis XVIII

1) negligentius hic liber scriptus est, in quo haud pauca quae in ceteris huius classis codicibus non extant vitia inveniuntur. ceterum in eo partem ultimam inde a verbo ἡμισείας (68, 1) manu altera, quae est saeculi XVI, ex editione Aldina additam esse docuit H. Vitelli, Stud. Ital. di fil. class. I 253 sq.

F 67 et Palatinus 158. etenim in his omnibus capita hoc modo disposita sunt: I, II, III, III, V—XIII. accedit quod in omnibus Callistrati descriptiones antecedit Cornuti libellus, qui *Θεωρία περὶ τῆς τῶν θεῶν φύσεως* inscribitur, id quod de Laurentiano et Monacensi iam Kayser ed. mai. p. 24 observavit. qua re iam eo adducimur ut hos omnes ex communi fonte derivatos esse statuamus. artiore etiam vinculo inter se coniunctos esse Monacensem et Quirinianum eo comprobatur, quod in utroque Callistratum Enchiridion Hephaestionis sequitur. ceterum in his omnibus fere semper eadem lectiones inveniuntur. deinde ad hanc classem referendus est Parisiensis 1038 saec. XIII, in quo Callistrati descriptiones post epistolas Euripidi volgo adscriptas collocatae leguntur. hic vero liber reliquis classis *B* exemplis non solum antiquitate, sed etiam lectionum bonitate aliquantum antecellit. etenim nonnumquam scripturas deteriores quae in ceteris libris manuscriptis classis *B* inveniuntur, aut omnino non exhibet aut a manu altera illatas. cf. quae adnotata sunt ad 54, 18; 56, 2; 57, 14. 21; 59, 7. 13; 60, 16; 61, 2; 63, 11. 21; 68, 8; 69, 9; 71, 7. certe in his quaedam levioris momenti sunt quaeque ad alias quoque causas referri possint; at rursus certissima exstant indicia, quibus evincitur Parisinum 1038 re vera reliquis libris integritate praestare. alio enim modo vix explicare possis, quod 56, 2 archetypi scripturam corruptam *χρυσόπικρον* solus iste exhibet, cum ceteri classis *B* libri (et ipsius Parisini corrector) *λυσόπικρον* praebeant; quodque 57, 14 inter verba scriptoris veram scripturam *ὄντως* cum *A* habet, in margine vero *οὕτως* illud in *P* et ceteris classis *B* libris inepte illatum ab homine inepto, qui vocabuli *ὄντως* vim atque usum non perspexit; denique quod libri Parisini amanuensis 64, 19 pro *πάναγνον* exemplar quo utebatur se legere non posse honeste confessus *π . . .* posuit spatio relicto, cum in ceteris *παιάν* e 65, 12 temere suppletum sit (*παν^{αν}* quod in Parisini margine legitur utrum ab ipso librario an a correctore profectum sit non constat). unde

adparet omnia classis *B* exempla praeter Parisinum 1038 e codice quodam fluxisse, in quo haud pauca ad arbitrium immutata erant. ipsum tamen Parisinum reliquorum esse archetypum non omni ex parte certum est, quoniam 54, 18 vitiosa lectio *σχήματος*, quae in Parisini margine et in deterioribus classis *B* libris exstat, etiam in Parisino 1696 (*P*) legitur, qui liber est saec. XIII et ad diversum codicum genus pertinet. deinde notabilis locus est 69, 9 ubi pro corrupto vocabulo *ψόφον* in tribus classis *B* libris (inter quos Parisinum 1038 non esse scito) *ψόγον* infelicissimo conatu restitutum est. hanc quoque coniecturam in archetypo illo, ad quem deteriores classis *B* libri redeunt, adscriptam fuisse veri simile est. denique huius classis esse Monacensem 494 saec. XVI, in quo caput primum et maior alterius pars extat — desinit enim in verbo *σφάγιον* 48, 24 — scripturae consensu evincitur.

V Inde a capite nono novum nobis artis criticae administrandae subsidium praebetur codice Vaticano 1898 (*V*) saeculi XIII, quem primus R. Hercher in lucem protraxit.¹⁾

Restant excerpta in codice Vossiano graeco 18 saec. XV, quae in omnibus fere rebus cum excerptis in codice Neapolitano 91 (II C 32) eiusdem saeculi servatis conveniunt.²⁾ de quibus hoc sufficiat dicere, consentire ea plerumque cum libris *A* nisi quod cum *B* faciunt 64, 4 in scriptura *ᾧ* . . . *ἐκκληρούχησε*. nullius omnino usus est editio Aldina ex codice quodam deteriore classis *B* descripta.

Vides igitur in capitibus I—V libros *FPAB*, in VI et VII *PAB*, in VIII *AB*, in IX—XI et XIII *VAB*, denique in XII et XIII *VA'B* nobis respiciendos esse.

1) cf. Herm. V 290.

2) continentur excerptis illis hi loci: 53, 16 sq. *κατὰ . . . καθαράς*; 54, 17 sqq. *ἐν ἁσωμάτῳ . . . περιδεία*; 57, 14 sq. *ἐστὼς . . . ἔχειν ἐφαίνετο*; 59, 2 sqq. *χιτῶν . . . πόδας, κόμη . . . αἰσθησιν*; 61, 15 sqq. *γέλωτος . . . τὸν χαλκὸν δῆλωσιν τῶν παθῶν ὑποκρίνεσθαι*; 64, 2 sqq. *εἶτα . . . πιστεύομεν*; 68, 6 sqq. *ὡς . . . ζητεῖν*; 69, 1 sqq. *ἀπομαξαμένης . . . ἡ εἰκὼν*; 70, 16 sqq. *ἦν . . . τὸ ὄμμα παράφορος*.

Enumeratis atque descriptis qui exstant libris manuscriptis iam in singulis codicibus vel codicum generibus aestimandis operam ponamus necesse est. qua in quaestione tractanda quam maxime dolendum est libros antiquissimos Laurentianum *F* et Vaticanum *V* non in iisdem libelli partibus nobis praesto esse, quo fit, ut inter se comparari iam non possint. initium autem disserendi capiemus ut par est a Laurentiano *F*, quippe qui reliquos vetustate longe superet, ita ut vel Vaticano *V* tribus saeculis sit antiquior, ceteris vero quattuor vel quinque vel adeo sex. hunc igitur librum cum Parisino *P* propinquitatis vinculo quodam coniunctum esse nemo negabit qui hos loco inspexerit: 45, 1. 10. 10; 46, 5; 48, 8; 50, 6. 9; 53, 2; 54, 5; 55, 5. 13. 18. quin etiam ea est condicio libri *P*, ut eius scripturae nonnumquam ex antiquioris codicis *F* erroribus ortae esse videantur: cf. 45, 10 ἡ τῆς *F*: ἐκ τῆς *P*: τῆς *AB*; 53, 2 ἀβρὸν οὐδὲ *F*: οὐδὲ ἀβρὸν *P*: ἀβρὸν οὐδὲν *AB*. quo magis mirari debemus non ubique easdem inter libros *FPAB* intercedere rationes. etenim semel (55, 10) *F* cum *B* contra *PA* consentientemprehendimus; sexies vero (46, 15; 47, 15; 51, 18; 52, 13; 53, 4; 54, 18) *FA* contra *PB* faciunt. cuius inconstantiae cum variae causae excogitari possint, tamen et propter codicis *F* vetustatem et librorum indole respecta credere malumus aut in *P* e codice quodam classis *B* pauca illata esse aut classis *A* archetypum ad exemplum quoddam Laurentiani simile nonnullis locis correctum esse. utut est, iam dum in limine disputationis vestigium ponimus, manifestum nobis fit Callistrati exempla olim inter se collata esse; quae res sane magni momenti est in huius opusculi memoria recte cognoscenda.

Ubi deinceps ad scripturas, quae alteriutri libro, aut *F* aut *P*, peculiare sunt, animum adverteris, statim concedes codicem *P* non solum multis numeris Laurentiano *F* deteriore sed etiam classibus *A* et *B* (quibus in capp. VI et VII deficiente Laurentiano solus accedit) posthabendum esse. id quod vel glossematis evincitur, quae in eum

est Callistratus, sicut 62, 13, ubi in *νύκτα ἐλεεινόν* hexametri clausula latere videtur); 60, 12 *θελκτήρια*; 63, 4 et 5 *μήτε*; 66, 7 *ἤγετο*; deinde quae post incisionem graviolem collocata sunt, ut 54, 20 *σκιάσματος, ολον* et 65, 10sq. *ιδέα, ἄτε . . . φέρουσα, ἀκμήν* (ubi parenthesi interposita dirumpitur oratio). denique duobus locis hiatus ante articulum observatur (69, 18 *πάθη ἡ* et 65, 9 *φθίρεσθαι ἡ*). restant igitur tria tantummodo exempla omni excusatione carentia, quae quin suspicionem moveant fieri non potest; e quibus unum (72, 1 *ἀνέβη ἄγριον*) in loco exstat lacunoso atque iam in communi archetypo male tradito, secundum (55, 8 *πάθη ἐμήνυνεν*) ad loci simillimi (60, 10 *πάθη κατεμήνυνεν*) amussim emendandum esse videtur. plane singularis notae est 67, 14 *νὸς ἰδρυμένον*, quo loco quid faciendum sit, haud facile dicas. haec cum ita sint, cavendum est, ne temere verbis qualia in libris manu scriptis leguntur immutatis nova inferantur hiatus exempla; reiciendaeque sunt quae contra hanc legem peccant virorum doctorum coniecturae, velut Kayseri illud *μοι ἐδόκει* 62, 17 (de quo loco postea fusius agemus) et Salmasii *ἔτερα ἱερὰ* 49, 18. itaque ut longum iter emensi unde egressi sumus redeamus: iam, si recte haec disputata sunt, dubitari non potest, quin codicis *F* scriptura (51, 22) *ἀτρα ἐμνησαντο τέμνειν* sana non sit.

Itaque cum hoc loco librum antiquissimum ab interpolationis suspicione liberum non esse constet, in aliis quoque eius lectionibus aestimandis caute rem geri oportet. 48, 2 *F* omittit *ἐκ*, quod ferri quidem potest, sed dissuadet constans scriptoris usus. nec magis placet 53, 11 *ἐν αὐτῇ* (audi *κορήνῃ*) *F*: *ἐπ' αὐτῇ* *AB*: *ἐπ' αὐτῷ* *P*; nam de lacu sive piscina statuae tamquam insulae circumfluenti cogitari non posse patet. ambigua res est 46, 16, quoniam particulam *ἔν*, quae non adparet in *F*, ad *ὧς* cum participio coniunctum modo adponit scriptor (46, 6; 50, 3; 53, 5; 63, 20) modo omittit (51, 4; 57, 16; 58, 1); at cum aliis quoque locis vocabula in codice *F* omissa esse constet, non est causa, cur ei hoc loco fidem habeamus

uno tantummodo loco quod *F* exhibet praestat, 46, 18 *λειμῶνος*, cum in ceteris pluralis *λειμώνων* scribatur.

Satis iam demonstratum esse putamus librorum *F* et *P* neutrum, ubi a reliquis libris discedit, magni aestimandum esse, etsi Laurentianus longe melior est Parisino, in quo nihil omnino laudandum nisi id unum, quod eius ope discernere licet, quae scripturae iam olim in amborum librorum archetypo communi extitisse putandae sint. de his igitur, quae iam pag. XXIX a nobis enotatae sunt, dicendum est. atque aperta in *FP* menda deprehendimus quattuor locis: 45, 10 (*ἡ τῆς F: ἐκ τῆς P: τῆς AB*); 48, 8 (*μοιρῶν FP: ἀμοιρῶν AB*); 53, 2 (*οὐδὲ FP: οὐδὲν AB*); 55, 13 (*δεχόμενος FP: διαδεχόμενος B: διαδεχόμενος A*); praeterea 46, 5 *ὑπανισταμένης*, quod *AB* praebent, multo magis adridet quam quod in *FP* legitur *ἐπανισταμένης*, neque negari potest 55, 5 *εἶδες δ' ἔν*, quod *FP* exhibent, recedere ab usu scriptoris, quippe qui ubique *εἶδες ἔν* adhibeat particula *δ'* (quam hoc loco omittunt *AB*) non interposita. denique *ἐπὶ* illud, quod 45, 10 post *βάσεως* insertum legitur in *FP* (in quo *ἔτι* latere olim suspicatus erat H. Schenkl) prave inter scriptoris verba inculcatum esse videtur. in utraque parte, et in *FP* et in *AB*, peccatum est 50, 9, ita tamen, ut a genuina scriptura *μαλακότητος* scriptura librorum *FP* *μεγαλότητος* aliquanto propius absit quam *μεγαλειότητος*, quod praebent *AB*. utrum 54, 5 cum *FP* *κατὰ* an cum *AB* *κατὰ* δὲ scribendum sit, prorsus in incerto est; utraque enim lectio ferri potest. neque deterius est quod *FP* 45, 10 praebent *τὸν ταρσὸν τὸν ὀπισθεν*, cum alterum *τὸν* in *AB* desit; certe praestat titulus initio libri positus *ἐκφράσεις* (male *AB* *ἐκφρασις*). sed leviora haec videntur, si ea comparaveris cum duobis locis, quibus gravissimae inter *FP* et *AB* intercedunt discrepantiae. quorum alter legitur 55, 18, ubi in ultimo quinto capite haec verba adiciunt *AB*: *ἔχει δὲ ὁ λόγος ὡς καὶ ἡ εἰκὼν εἶχεν*. simillima ista sunt clausulis illis brevibus, quae in fine *ἐκφράσεων* Libanio volgo adscriptarum leguntur; cf. vol. III ed. Reiske p. 1069 *ταῦτα εἰ μὴ θεώμενος*

ἔφραζον, ἡδίκουν τὸ κατασκευάσµα vel p. 1082 λέγειν οὖν ἀφῆκεν ὁ λόγος ἃ µηδὲ λέγειν οἴκοθεν δύναται. ista vero consuetudo, quam tamquam legem sibi imposuerunt quibus nugae illae debentur, cum a Callistrato aliena sit (is enim in initio descriptionum talia adferre solet), non sine causa conicias verba illa aut in classium *AB* archetypo aut in communi omnium librorum fonte adscripta fuisse ab homine quodam, cui sine coronide descriptionem quadrari non posse persuasum erat. adde quod caput quintum quale in *FP* legitur iusto epilogo minime caret quodque emblemate illo eiecto quae in ultimo capite leguntur τὸν Νάρκισσον καὶ εἰς ὕμῃς παρήγαγον aptius et simplicius excipiuntur atque continuantur capitis insequentis initio Ἐθέλω δέ σοι καὶ τὸ Λυσίππου δημιούργημα τῷ λόγῳ παραστῆσαι¹). deinde codicibus *FP* opprobrio dari solet quod in iis 50, 6 post θρυπτόµενον haec verba orationi inserta leguntur: οὐκ ἐπιτροπεύειν αἰσθήσιν ποιοῦσαν (ποιοῦσα *P*) θρύπτεσθαι. quae verba etiamsi neque per se ut nunc leguntur intellegi neque eo quo in *FP* posita sunt loco ferri posse consentaneum est, cave tamen ne ut prorsus otiosa abicienda esse censeas. non scholiastam magistellumve haec redolere iam Iacobs agnovit, qui 'verba nescio cuius scriptoris' hic margini adscripta fuisse existimavit. immo si aliquanto accuratius in eorum indolem inquisiveris, colorem Callistrateum ea prae se ferre vix negabis. nam vocabulo αἰσθήσεως quantopere gaudeat Callistratus, ita ut novis semper verbis additis sententias variet animos legentium delectaturus, e vocabulorum indice haud magno negotio intellegere licet. itaque scriptorem, qui δουλοῦσθαι αἰσθήσιν dicere ausus est, ἐπιτροπεύειν αἰσθήσιν dicere non potuisse credamus? quid multa? purum putum tenemus Callistratum; e cuius verbis ut fragmenta tantummodo servata sint enuntiati integri olim in margine adscripti infelici casu factum est. verba muti-

1) aliter sentit Reisch, qui δημιούργημα τῷ λόγῳ verbis λόγος et εἰκὼν potius respondere ratus enuntiatum illud saltem non probabilius damnari quam defendi censet.

lata quoad despicere potuit descripta inepte post *θρύπτεσθαι* inter scriptoris verba inseruit qui codicum *FP* archetypum exaravit. reliqua omnia incerta; neque libris *AB* vitio vertere licet, quod verba ista non exhibent, quoniam ne id quidem constat, utrum quae olim in margine archetypi codicum *FP* scripta erant, hoc loco omissa an ad illustrandam sententiam ex alio quodam Callistrati loco nunc deperdito sumpta esse censenda sint.

Iis quae modo exposuimus diligenter perpensis statuendum est *FP* et *AB* scripturarum bonitate non multum inter se differre et certe classes *A* et *B*, e quorum codicibus nullus saeculo XIII antiquior est, ubi concinunt non inferiores esse archetypo librorum *F* et *P*, quem saeculo X recentiorem non esse patet. simul vero elucet pauciora ista esse exempla, quam quibus solis innisi confidenter classes *A* et *B* ad eundem fontem redire censeamus, praesertim cum tot locis et in *A* et in *B* peculiare inveniantur lectiones, ut multo saepius *A* a *FPB* vel *B* a *FPA* dissentientes, quam *FP* et *AB* inter se discrepantes repperias. quae cum ita sint, iam de rationibus quae inter *A* et *B* intercedunt quaestionem institui oportet iis quoque capitibus, in quibus *F* et *P* deficiunt, ad computationem vocatis.

Atque in classis *A*, de cuius archetypo lacunis maculive deformato iam pag. XXV disputavimus, mendis examinandis chartam consumere operae pretium non est. sufficiat igitur locos quosdam notare qui aperta praebent interpolationis vestigia, ut 46, 7; 53, 10; 54, 10; 64, 8 (sententiam egregiam omnique suspicione exemptam plane pervertit *A* vocabulo *πρέπειν* in *τρέπειν* mutato; nam quis non videt *ἄγαλμα* . . . , *εἰς* ὃ pro *ἀγάλματι* . . . , *εἰς* ὃ positum luculentum exemplum esse attractionis quam vocant inversae?); 65, 1; 66, 5 al. ea autem quae emendatiora in classi *A* sola leguntur (46, 11 *πόρον A: πόρων* cett.; 49, 5 *στήσασα A: στήσασαν* cet.; 54, 19 *κατεχομένῳ A: κατεχομένῳ* cett.) coniecturae tribui posse quis neget? correctoris igitur ingenio tribuantur, non codicis virtuti. quamobrem non recte fecisse videtur Kayser, quod compluribus

locis classis *A* lectiones ceteris neglectis praetulit. sic, ut exempla quaedam proferamus, 45, 2 cum *A* *τι* omisit, 53, 13 ἀπ' et 17 ἐπεφύκει scripsit, 56, 2 δὲ omisit, 64, 4 ἐκληροῦχει recepit; cf. praeterea 46, 1. 22; 56, 7; 64, 3. 13; 65, 1; 67, 7; 68, 2; 69, 5. praeterea notabile est scripturas classis *A* nonnumquam ita conformatas esse, ut e discrepantibus reliquorum librorum lectionibus conflatae esse videantur; cf. 55, 13 διαγεόμενος *B*: δεχόμενος *FP*: διαδεχόμενος *A*; 62, 4 τὸ *B*: τοῦ *V*: τὸ τοῦ *A*; 64, 19 ἀνακινῶν *V*: ἀνακινοῦν *B*: ἀνακινῶν οὖν *A*; 66, 13 χαλκοῦ *V*: χαλκὸν *B*: χαλκοῦν *A*. quae exempla etsi non omni ex parte certa sunt, tamen, quae est indoles classis *A*, hic non silentio praetermittenda erant.

Deinde apte hoc loco codicis Vaticani *V* mentio inicienda est. quem medium quandam locum inter *A* et *B* tenere sed ita ut ad classem *A* magis inclinet demonstrari potest. velut 71, 1 in *V* legitur ἐκ βυθῶν ἀνέβη (quae genuina scriptura est), in *A'* ἐκ θηβῶν ἀνέβη, in *B* ἐκ-βυθιζομένη; 72, 7 βαφ^s *V* βα... (spatio vacuo relicto) *A'*: φεῦ *B*. neque refragatur locus satis gravis 71, 4 κινήσεως (τοὺς θεατὰς ἐξέστη· [παρῆν δὲ καὶ ἡ Ἰνὸ περιδεής, ὑπότρομος]), ὑπὸ τοῦ φόβου χλωρόν τι καὶ τεθνηκὸς ὀρώσα. integrum locum solus *V* exhibet; quae rotundis uncis inclusa sunt, in *B* desunt sine lacunae signo, quae quadratis, in *A'* post ὀρώσα leguntur transposita. his accedunt loci quidam, quibus *V* cum singulis classis *A* codicibus consentit, ut cum Vat. 87 62, 15; cum Marciano 66, 7; 67, 7. et omnino frequentius classem *B* libris *VA*, quam *VB* classi *A* opponi adnotatione perlustrata facile observabis. iam de scripturis quas solus exhibet *V* quid iudicandum sit experiamur. atque multa in eo prave scripta sunt, plurima librarii culpa corrupta, pauca ab interpolatore reficta. velut errori tribuenda sunt quae leguntur 65, 3 sq. κερηνότες et ὑπερβαλόντες, quae orta sunt amanuensis oculis ad κέρνται et ὑπὲρ μετώπου aberrantibus; δίκ.. autem illud (70, 7) fortasse vicino vocabulo διακονεῖν debetur. alia misera archetypi condicione excusantur ut

voculae ὃν 65, 16 et γὰρ 66, 20 omissae. cf. praeterea 63, 5; 65, 14; 66, 19; 67, 12; 68, 4; 69, 1. 15; 70, 4. neque neglegendum est in *V* nonnulla quae propter char- tam detritam aut atramentum nimis pallidum iam olim evanuerant aut minus commode legebantur, a manu saec. XV suppleta esse alio quodam codice in auxilium vocato. his igitur scripturis, a nobis *V rec.* insignitis, cave ne in libro *V* aestimando utaris (velut 64, 18 οὐκ εἰς γὰρ et 70, 7 νόμων). inter ceteros qui huc pertinent locos sunt nonnulli, quibus Vaticano *V* adstipulari haud cuncteris, ut 65, 17 παραστῆσαι (παραστῆναι *cett.*); 66, 7 ὅλος (ὅλος *cett.*); 13 χαλκοῦ (χαλ- κὸν *B*, χαλκοῦν *A*); 14 κόμη (κόμης *cett.*); 67, 18 (cf. adn.). atque haec, cum singulis tantummodo in litteris Vaticanus a reliquorum librorum scripturis differat, a grammatico quo- dam emendari potuisse non negamus; egregiam vero lectio- nem antiquitus traditam tenemus 70, 15 οὐκ ἀμούσως (οὐ κάλλους ὥς *AB*), neque spernendum est quod *V* praebet 67, 6 αἰδοῖ συμμιγῆς ἀφροδισίας (sic *V*; ἀφροδισίου *AB*) ἐρωτικοῦ γέμον χάριτος (audi ὄμμα). quodsi recte ἐρωτικοῦ ut glossema delevisse Iacobsium censes, nihil differt, utrum *V* sequaris an *AB*; sin minus, statim elucet codicis *V* praestantia. nam duo membra distinguenda atque ἀφροδισία et ἐρωτι- κῆς scribendum esse perspexit Reisch; in *ς* autem illo par- ticulae καὶ (qua inserta hiatus tollitur) compendium latere vidit H. Schenkl. praeterea multo magis adridet quod *V* praebet 69, 14 γυναικείας quam classium *AB* scriptura γυναικός. nec tamen interpolationis vestigia desunt; con- iecturae certe debentur 71, 12 καταχέει, quam vocem hoc loco ut vel in Callistrato nimis quaesitam reprobaveris, et οὐσίαν 71, 19, quam scripturam a Iacobsio sine codicis ope inventam, ab Herchero et Kaysero probatam male e genuina lectione ἐξουσίαν propter insequens ἐξαλλαττόμενον effi- tam esse sibi persuadebit, quisquis exempla vocis ἐξουσία a Callistrato saepissime adhibitae in indice verborum enotata inspexerit. cavendum igitur est ne temere libro huic, quem in Philostrato maiore quoque coniecturis et interpolationibus corruptum esse constat (cf. praef. ed.

Vindob. p. XI), ubi a ceteris discedit fidem habeas. quamobrem neque in verbis collocandis libro V obsecuti sumus 62, 19 et 70, 16 neque aliis locis (ut 62, 15 et 68, 13); ne νεοτήσιος quidem illud (66, 1; νέος AB) recepimus, quod verbum, etsi in proximo quoque versu legitur, minime vituperandum est in scriptore qui vocabula eadem vicinis locis collocare non gravatur, immo dum modo argutias atque spinas consecatur modo incultum atque simplex dicendi genus adfectat tali verborum lusu gaudet (cf. 45, 3—6. 8—10; 46, 3—4; 47, 6—8; 48, 3—5—6. 11—12. 12—13. 19—20; 53, 12—14. 13—54, 3; 56, 7—8—10—11—14; 14—57, 2. 12—13; 62, 8—9; 63, 16—17; 66, 5—6; 71, 8).

Restat, ut de iis quae classis B propria sunt (omissis ut par est illis quae auctoritate codicis Parisini 1038 non confirmantur; cf. p. XXVII) disputemus. cuius classis propter discrepantium scripturarum numerum et diversitatem condicionem plane singularem esse nemo non concedet adnotatione critica vel obiter perlustrata. merito igitur dixeris in hac quaestione solvenda quasi in quodam cardine crisin Callistrateam versari. itaque pedetemptim nobis omnia exploraturis initium capiendum erit ab iis locis quibus aperta vitia et errores in classi B inveniuntur, qui non pauci sunt; cf. 51, 20; 56, 6; 58, 5; 59, 7. 11; 60, 14. 15. 16; 61, 4. 10. 22. 22; 63, 4; 66, 22; 67, 7. 8. 9; 68, 5. 8. 11; 69, 11; 70, 1. 10; 71, 9. 20. atque haec omnia librariorum incuriae tribuenda sunt, cui itidem iure tribueris verba 67, 2 καὶ ὅτε μὲν . . . ἀνιέμενος post συναπλούμενος omissa; aliis locis quae desunt aut prave scripta sunt — ut 64, 10 εἰ μὴ εὔ (εὖ Paris. 1038) pro ἥ μὴδέν; 67, 5 ἦν om.; 67, 8 ὦν om.; 70, 3 ἐν ἥ om.; 71, 4 τοὺς . . . ὑπότομος om. —, archetypi potius condicione mala explicanda esse videntur. praeterea in sola classe B haud pauca emendatius scripta esse nemo bene sanus negabit; cf. 47, 11; 53, 12 sq.¹); 55, 1. 13; 57, 15; 62, 4. 16; 67,

1) ἀστροπῆς . . κάλλος, quod praebent FPA, fortasse de-

12; 68, 12; 69, 9; 70, 2. 6. at rursus nonnulli exstant loci, quibus verba scriptoris ad arbitrium immutata esse aut certum aut veri simile saltem est. et in ultimis Callistrati versibus quae *B* praebet 72, 1 ἐκβυθίζομένη et ib. 7 φεῦ fortasse sibi legere visum esse in exemplari suo qui archetypum classis *B* exaravit credideris; at manifestas tenes interpolationes 53, 23 εἰς τὴν . . . ἐξήσκητο] ἐκάστην . . . ἐξήσκει *B* et 54, 6 περὸνθεις . . . καταβαλὼν ἐπαύετο] περὸνδες . . . καταβαλόνσαι ἐπαύοντο *B*. similia his sunt 57, 5 ὑφέρπουσα] ἐφέρπουσα *B*, quod vocabulum inductum esse videri potest ut cum ταῖς παρειαῖς coniungeretur, cum dativus ille potius ad ἐπίσειε pertineat; 55, 3 νύμφαις] νύμφη *B* (Echus male memor fuit corrector); 52, 17 κατηγορεῖ τὸ πάθος] κ. τοῦ πάθους *B* (qui sic scripsit, diversas verbi κατηγορεῖν significationes non probe noverat). 46, 11 καὶ] ἐκ *B*, incertum utrum propter vitiosam scripturam πόρων an secundum Aeschyli locum qui Callistrato obversatus esse videtur (Prom. 59 καὶ ἀμηγάνων πόρον). fatendum tamen est fortasse graviolem hic latere labem. 71, 3 εἰκὼν] χεῖρ *B*; male vox ista e versu praecedenti huc illata. de his igitur locis vel qui clementissimum tulerit iudicium, classem *B* interpolationis suspicione non prorsus carere concedet.

Nihil adhuc invenimus, quo classem *B* reliquis codicibus adeo praestare comprobetur, ut in Callistrati verbis recensendis ea sola tamquam certo fundamento nitendum sit. sed restant alii satque multi loci, quibus classis *B* et ceterorum codicum lectiones tamquam aequali examine

fendi posse adnotavit H. Schenkl, dummodo positum esse hoc loco putes pro καλλίστην ἀστραπήν, secundum celeberrima illa ac vetustissima exempla velut ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο sim. (cf. Kühneri, Gramm. Gr. vol. II p. 280 ed. Gerth.). quam figuram periphrasin a nonnullis adpellatam esse (ut ab Alexandro de fig. p. 468 W. et schol. II. *B* 387) nec tamen ab omnibus idem monet; cf. schol. Aristoph. Plut. 268 ὃ χρυσὸν ἀγγεῖλας ἐπᾶν: Ἀττικὴ ἢ σύνταξις κτλ. et schol. II. *N* 248 [nuperrime Reisch ἀστραπήν οἶον . . . κάλλος proposuit, quod sane magnam habet veritatis speciem].

sibi opponuntur, ita ut neque propter artis grammaticae leges neque propter scriptoris usum neque propter res tractatas alterutra scriptura praestet; cf. 49, 6. 10; 53, 1; 55, 18; 56, 13; 57, 11; 58, 16; 59, 8. 10; 63, 14. 15; 71, 1; 72, 2. 9. velut, ut exempla adferam, utrum 63, 15 τοῦ an τῆς λίθου scribendum sit, iam diiudicari non potest, quoniam utroque genere Callistratus promiscue utitur; nec magis certum est, utrum 72, 2 γλαυκόν an ἡλιακόν melius sit, cum neque hoc neque illud ab eo quem tractamus loco alienum esse videatur. his locis haud inepte adiungas eos, quibus in classis *B* libris oratio Callistrati locupletior est singulis voculis; novies enim articuli adduntur (47, 11; 48, 4. 14. 19; 59, 3; 60, 18; 61, 11; 62, 16) quater particulae (δέ 47, 12; 49, 16; μέν 61, 7; καί 46, 22). tales autem scripturas, dum firmiora desint argumenta, classi *B* neque laudi neque vitio verti posse patet, praesertim cum eadem illa vocabula haud paucis locis in *B* quoque desiderentur (quater articuli omittuntur 48, 23; 59, 19; 60, 14; 62, 4; totidemque locis καί 48, 17; 51, 20; 61, 20; 68, 10). sunt vero et alii loci in quibus graviores discrepantiae observantur quique fortasse in quaestione illa disceptanda discrimen facere possent, dummodo ne in iis ipsis tractandis aequae lubrica et perdifficilis esset diiudicandi ratio. id quod nos quoque experti sumus; etenim haud raro, dum de vera Callistrati scriptura restituenda disputamus, parum inter nos rem convenisse ingenue confitemur, ita quidem, ut Reisch classis *B* scripturas plerumque ut genuinas defenderet, H. Schenkl ut ab interpolatore refictas improbaret. velut quae 48, 16 in *FPA* leguntur ἀνεῖτο ἡ κόμη . . . καὶ εἰς τριχὸς ἀνθησιν ὑπεσχίετο certe curiose potius quam lepide dicta sunt (etiamsi 57, 4sq. quoque θρίξ et κόμη mirum in modum sibi opposita leguntur) et multo magis placeret καὶ <ὁ λίθος> εἰς τριχὸς κτλ. (cf. 55, 9); at cum in *B* sola vox λίθος sine articulo legatur, Callistratum vero in eiusmodi enuntiatis ubique articulo uti constet, H. Schenkl inde suspicionem moveri censet, illud λίθος in classis *B* archetypo olim

inter versus additum fuisse. idem 53, 11 λευκοῦ, quod ante λίθου in sola classi *B* legitur, ex iis quae 54, 4 leguntur depromptum esse putat, cum alias quoque statuas (cf. 45, 8 et 62, 7) Callistratus e lapide sculptas esse narret; at Reisch obloquitur vocem illam, qua adiecta plerumque marmor album significari solet, nihil suspicionis habere ratus. 64, 8 εἰς ἀνθρώπινα *VA*, εἰς ἀ. σώματα *B*. illud non hoc prooemii argumento aptum esse monet H. Schenkl, quo non de corporibus tantummodo humanis sed in universum de omnibus quae ad vitam humanam spectant sermo fiat.¹⁾ sic Argo navem, quae quamquam Minerva adiuvante exstructa erat tamen horrendis Medaeae criminibus perpetrandis inservierit, statuae opponi ab ipso deo inspiratae simulque propter religionem et cultum ab omni contaminatione liberae. Reisch vero σώματα hoc loco non corpora intellegit, sed materiae genera diversa, ut aes vel lapidem, quibus homines utuntur in rebus ad usus vitae necessariis conficiendis. denique οἰκεῖον illud, quod 49, 16 inter τὸν et γενήτορα in *B* insertum legitur, suspicionem propterea habere H. Schenkl adnotat, quod Callistratus alioquin οἰκεῖος et οἰκοθεν vocabulis ita utatur, ut vim quandam innatam significant (quale in Graeca lingua est ξυμφύτος), hic vero τὸν οἰκεῖον nihil aliud sit quam τὸν ἑαυτοῦ; quamobrem οἰκεῖον glossam videri olim explicandae sententiae causa inter versus adscriptam. aliter Reisch sentit, qui cum in ceteris tribus quos tractavimus locis classi *B* plus fidei tribuerit, hic quoque ei obsequendum esse censet.²⁾ neque desunt loci, quibus vocabula in reliquis libris servata in *B* consulto omissa esse con-

1) sic voce ἀνθρώπινα Plato utitur Theaet. 170 A. liceat hic occasione data observare Callistratum ἀνθρώπινος tantum adhibere, ἀνθρώπειος evitare.

2) quod 61, 22 in *B* legitur τί τε (cum *A* τε omittat) exemplis quae modo tractavimus adiungere non licet, cum illud τε e varia scriptura olim supra τι addita ortum esse manifestum sit. de 66, 16 cf. quae in adnotatione critica dicta sunt.

cias; velut 72, 7, ubi pronomen *τις*, quod post *Ἀμφιτρίτην* in *VA'* legitur, defendi posse putat H. Schenkl usu notissimo poetarum Atticorum (cuius exempla congesta invenies in Passovii et Rosti lexico p. 1910) in comparationem vocato, Reisch vero inculcatum esse suspicatur ab homine parum docto, qui Amphitrites nomen hic generatim dictum esse atque numinis cuiusdam marini vice fungi stulte autumaverit. porro *αἰσθήσει*, quod 60, 5 in *B* deest, a grammatico sublatum esse propter scripturam corruptam *μουσική* (cf. quae iam p. XXX exposuimus) haud inepte suspiceris.

Inprimis vero dignus est qui hic commemoratur locus ille difficillimus et ultra emendandi spem corruptus 62, 16 sqq. certe quae ibi in libris leguntur *καὶ ἦν μεμνόνιος* (sic *V*; *μεμνόνειος A*; *μέμνωνος*, ut plerumque in ista classi scribi solet pro *μέμνωνος*, *B*) *ἢ* (*ἢ om. VA*) *εἰκὼν* sana non sunt. itaque cum offensam praeberet adiectivum *μεμνόν(ε)ιος*, cui hic omnino locus non est, neque medicina placeret nimis gravis a Kaysero adhibita (qui deleri iussit *ἦν μεμνόνειος*) et desiderari videretur vocabulum quoddam quo indicaretur vere vel plene Memnonem ipsum imagine repraesentari: nos praeunte Ioanne de Arnim, qui nominativum *Μέμνων* restitui suaserat, *Μέμνων ὄντως*, quod placuit Reischio, vel *M. ὄλως*, ut voluit H. Schenkl, temptavimus. deinde quaesiverit quispiam num praesens *δοκεῖ* (quod *VA* praebent, cum in *B* legatur *δοκοῦσα*) ferri possit cum imperfectis quae in vicinis enuntiatis leguntur consociatum. ac praesenti et perfecto Callistratum uti observes velim iis locis, qui non ad ipsorum signorum descriptionem spectant (ut 47, 12. 16; 48, 1. 13; 49, 14. 16; 19; 52, 14; 55, 3; 56, 2; 59, 21; 60, 15; 62, 4; 63, 8; 65, 16. 17; 68, 4. 5. 8; 70, 4. 5. 7), deinde in verbis periegetae cuiusdam ficti 57, 19 sqq. adlatis; praeterea notatu dignum est per totum caput decimum praesens adhiberi. futurum rarissime invenitur (49, 13; 64, 5. 9. 10). in describendis signis scriptor imperfectis utitur, quibus tamen nonnullis locis singula verba praesenti vel perfecto tempore posita interspersa sunt, ut 53, 1; 59, 6;

70, 15 (ubi frustra est Kayseri coniectura). adde quod 67, 14 *θεῶμαι* legitur, cum alibi *ἐπιστεύομεν* (47, 5), *ἔστημεν* (48, 11), *εἰστήκειμεν* (66, 20), similia (cf. 51, 19; 55, 17; 66, 18; 68, 16) de semet ipso dixerit scriptor.¹⁾ quae cum ita sint, in loco de quo agitur (62, 17) recensendo cave ne temere fidem habeas scripturae classis *B* *δοκοῦσα* quamvis speciosae, quippe quae minus bene conveniat cum iis quae sequuntur *ἀγομένη κατενθύνετο*; praesertim cum in iis quae praecedunt gravior corruptela vel iactura latere videatur. sed etiam in versu insequenti (62, 18) gravissima inter *B* et *VA* discrepantiaprehenditur. etenim in *B* legitur *ὕπὸ δὲ τύχης τινὸς ὁμολας καὶ προαιρέσεως*, in *VA* *ὕπὸ δὲ ψυχῆς τινος καὶ ὁμολας προαιρέσεως*. illud Reisch defendit in comparationem vocatis quae leguntur 63, 5 *πάσαις τύχαις ἄτρωτον* et 54, 1 *ἵνα . . . καὶ τὴν τύχην ἣ εἰκὼν μιμῆται* multisque aliis veterum scriptorum locis, quibus *τύχη* et *προαίρεσις* inter se opponuntur. dissentit H. Schenkl, qui vocabula ista sollemnia, quibus oratores aut rerum scriptores uti solent ut quantum in rebus humanis valeat casus quantum hominis voluntas demonstrent, minus apta esse censet huic loco, simul post ea quae praecedunt animae mentionem desiderari ratus (Iacobsium in his secutus). denique utrum *ὁμολας καὶ ἀν καὶ ὁμολας* praefendum sit, aequè in incerto est.


Itaque cum de omnibus istis locis in utramque partem disseri posse constaret, postquam in tam ancipiti causa quid statuendum esset diu et sollicitè deliberavimus, tandem visum est controversiam ita disceptare, ut eandem rationem, quam in reliquis libris adhibendis nobis probata erat,

1) etiam 67, 3 optime *V* praebet *ἐθέλει* (omissa particula *καὶ*) qua scriptura comprobata servare licet *ὅτε μὲν . . . ὅτε δὲ* illud; *ἐθέλοι* autem (quod, cum in *B* hic plura desint, classis *A* tantum auctoritate nititur) qui amplexus erit, *ὅτε μὲν . . . ὅτε δὲ* scribere debet, quae verborum conformatio et per se molesta est et propter ea quae praecedunt parum probabilis. 71, 12 in *V* *καταχέει*, in *A'B* *κατέχει* scribitur, utrumque male; cf. adnot. crit. certe non opus est Kayseri coniectura *κατείχε*.

in classi *B* quoque aestimanda teneremus. quamobrem locis illis, de quibus non satis liquebat, scripturas classis *B*, quippe quae non prorsus libera esset ab interpolationis suspitione, in adnotatione collocandas, non inter scriptoris verba recipiendas esse duximus, non quo tamquam corruptas aut refictas eas denotarem, sed ne certa ratio in recensendo Callistrato nobis deesset. lectiones vero illae sat memorabiles quomodo in classem *B* inrepserint (si modo aliunde inlatae sunt), variis quidem modis explicari potest; tamen veri simillimum est iam in communi omnium librorum archetypo ut varias scripturas eas adscriptas fuisse. in quibus an alterius recensionis vestigia subesse putes, parvi refert, modo ne utramque recensionem ab ipso scriptore profectam esse opineris, quod in Callistrato minus credibile est.

Denique in capite VIII, quod in *A* et *B* tantum superest, etsi classi *B* virtute non multum excellit, cum pluribus fere locis ei fides deneganda sit (cf. 60, 14. 15. 16. 17. 18; 61, 4. 10. 21. 22. 22) quam classi *A* (cf. 60, 19; 61, 5. 17. 22. 25. 25), tamen ubi ambigua res est (61, 7. 11), *B* potius obsequi maluimus, quoniam classem *A* omnino pessimam esse satis constat.

Totius disputationis summam, ut facilius cognoscatur, quas rationes inter singulos libros vel librorum genera intercedere censeamus, forma infra posita adumbrare conati sumus.



His expositis quae fuerit archetypi, ex quo codices quibus utimur manaverunt, condicio explicandum est. ac primum quidem necesse est ut iam hoc loco comme-

moremus in omnibus libris capite quarto ante tertium posito qui primitus fuit descriptionum ordinem turbatum videri. discrepantis vero ordinis vestigium fortasse servatum est verbis capiti alteri adiunctis: (49, 16) ἀπὸ (ἀπὸ δὲ B) τῆς βάνης τὸν ἔρωτα. unde Olearius coniecit olim caput quo de Amore agitur illud quo Bacchae statua illustratur excepisse. adversatus quidem ei est Iacobs ratus haec verba a lectore addita esse, qui diversum in aliis codicibus ordinem esse observavisset. sed nonne verisimilius est eum qui codicem ex quo libri nostri fluxerunt scripsit, cum per errorem caput quartum ante tertium posuisset, ut errorem a se commissum corrigeret, haec verba in margine adiecisse? at ne hoc quidem omni dubitatione exemptum. nam quid obstat quominus putemus hominem quendam cum ad caput secundum propter argumenti similitudinem quod quartum tunc fuit propius accedere quam tertium observavisset, legentes verbis illis additis admonuisse ut a Baccha omissio Indo statim ad Amorem transirent? itaque omnibus perpensis cum Kaysero ordinem ab Oleario commendatum secuti sumus, ne serie rursus mutata omnia turbarentur, ipsa re iniudicata relicta.

Nec tamen haec sine omni fructu disputata sunt. etenim cum verba ista in omnibus libris eodem loco inveniantur inserta, iam manifestum fit in archetypo, ex quo tamquam e communi fonte omnia Callistrati exempla derivata sunt, ea adscripta fuisse. idemque in additamenta illa breviora cadit, quae inscriptiones capitum I. II. V. X comitantur; quae quin ab ipso scriptore profecta non sint, dubitare non licet. satis apertum hoc in capitis II titulo; ubi in archetypo διεί per compendium exaratum fuisse videtur, quoniam in *PBA* διελλεκται, in *F* διέλλεν scribitur, minus recte hic quam illic, etsi διέλλεν non prorsus spernendum esse quis concedet qui quantum in studiis veteres διαίρεσει tribuerint non ignorat. deinde quod post capitis X inscriptionem additur ὅτι (sic *V*; ὅτε *A*; in *B* non est inscriptio) ἐθεραπεύθη, dubitari non potest, quin causam quae fuerit Callistrato illius descriptionis conficiendae in-

dicaturus fuerit qui verba ista inseruit; nempe scriptorem e gravi morbo convalescentem Aesculapio istum ingenii fetum grato animo ut tabulam votivam obtulisse opinatus est. at quid quaeso sibi volunt verba illa $\delta\varsigma \eta\nu \epsilon\nu \tau\omega \chi\omega\rho\epsilon\lambda\omega$ (vel $\acute{\alpha}\gamma\gamma\epsilon\tilde{\omega}$) $\epsilon\nu\theta\alpha$ (vel $\delta\pi\omicron\nu$) $\eta\sigma\kappa\epsilon\iota\tau\omicron$ capitum I et V inscriptionibus adiecta? certe nihili est Iacobsii commentum, qui in cap. I titulo enuntiaturum istud e depravata codicis Laur. LVI, 20 et Aldinae lectione $\epsilon\iota\varsigma \chi\omega\rho\epsilon\lambda\omega\nu$ (pro $\epsilon\iota\varsigma \chi\omega\rho\epsilon\lambda\omega\nu$) $\epsilon\nu\tau\epsilon\pi\lambda\epsilon\zeta\omega\nu \tau\omicron \sigma\chi\eta\mu\alpha$ natum esse coniecit; nam in cap. V inscriptione tali explicandi ratione non iuvamur. neque ut exercitandi verbum ad palaestram gymnasiive opera spectare putes ullam ansam dant scriptoris verba. restat igitur, ut verba ista aut (quod suavitatis Reisch) in hunc modum vertamus 'qui stabat in loco, ubi exsculptus fuit'¹⁾ aut (quam explicandi rationem commendat H. Schenkl) de schola rhetorica ea dicta esse censeamus eumque qui talia adscripsit significare voluisse statuas Satyri et Narcissi discipulorum oculis dum in describendo sese exercent propositas fuisse, deceptum fortasse ipsius scriptoris verbis quae 55, 16 sqq. leguntur male intellectis. eidem vero homini, qui ista, de quibus modo egimus, additamenta adscripsit, non inepte tribuas ea, quae ultimo capiti V in AB adiecta leguntur (cf. quae exposuimus pag. XXXIII), siquidem haec a Callistrato aliena sunt. quem singulorum quoque capitum inscriptiones supplevisse credibile est aut omnes aut certe inde a capite X; etenim Callistratum $\Pi\alpha\iota\alpha\nu\omicron\varsigma$ scripsisse (quo nomine in invocandis tantummodo deis uti solent Graeci) vel $\text{H}\iota\theta\epsilon\omicron\tau$ (quod separatim positum absurdum est) nemo sibi persuadebit. atque in margine adnotatos fuisse titulos illos iam eo veri similis fit, quod in B inde a cap. X prorsus omitti sunt.

Praeterea in communi archetypo ea quae nunc ultimum tenent locum iamdudum mutilata fuisse et lectu difficilia edocemur iis quas p. XXXVI adtulimus codicum VA'B scrip-

1) cf. $\eta\sigma\kappa\eta\sigma\epsilon$ 51, 19. ceterum scriptura $\eta\sigma\kappa\eta\tau\omicron$, quam in cap. I classis B, in cap. V Vatic. 87 praebent, indicatur iam antiquitus explicandi rationem modo significatam adhibitam esse.

turis inter se comparatis. quibus pro certo efficitur id quod iam Iacobs perspexerat ultimam opusculi Callistratei quale in communi archetypo legebatur paginam misere detritam fuisse. idem suadet ultimi capitis argumentum, quo Callistratus, cum antea signa lapidea et aenea congesterit, mirum in modum ad tabulam encausto pictam describendam delabitur; quod non fugisse videtur eum qui singulis capitibus titulos praefixit, quippe qui in capitis ultimi inscriptione mutato more (nam eo usque *εἰς* . . . ἄγαλμα scripserat) *εἰς* . . . εἰκόνα posuerit. itaque suspicio incidit post illud caput quaedam periisse. neque solum finis sed etiam initium libelli damnum tulisse videtur. nam et mirum est Callistrati syllogen iusta praefatione carere et ipsa primi capitis inscriptio *εἰς Σάτυρον* a reliquis discrepat, in quibus semper vox ἄγαλμα (in ultimo vero capite εἰκόν) est addita. ne id quidem igitur certum et exploratum est totius libelli titulum qualis in libris fertur *Καλλιστράτου ἐκφράσεις* ab ipso scriptore profectum esse. ad haec si addideris archetypum istum fuisse non solum glossis quae vocantur lectionibusque variis refertum sed etiam haud paucis locis corruptum, iam crisin Callistrateam fundamento satis incerto et lubrico niti concedes.

In commentario critico conficiendo non id egimus, ut integram lectionis varietatem ex omnibus codicibus congestam proponeremus. nullum enim fructum legentes ex ea re percepissent, immo inutili farragine ea quae alicuius momenti sunt obruta latuissent. quamobrem codicum *FPV* tantum scripturas omnes adtulimus et classium *A* et *B*. singulos classium illarum libros raro respeximus iis solis scripturis commemoratis, quae aut per se aut propter rationes, quae inter has familias intercedunt, memorabiles esse videbantur, ita, ut non siglis, sed ipsis nominibus in eis designandis uteremur. superest ut de orthographiae quae in libris nostris conspicitur condicione pauca adiciamus. duplices pro simplicibus consonantes positas habes 46, 22 (*γαννύμενος*); 70, 19 (*ἐριννύων*); simplices pro

duplicibus 50, 1 (*γενήματα F*); 53, 11 (*νάρκισος P*, quae forma semper in *B* legitur). *ν* quod dicitur *ἐφελκυστικόν* ante consonantes septies reperitur in *F*, quem secuti sumus: 47, 7. 18; 48, 19; 53, 14; 55, 7. 8. 16. *δ'* *ἐξ* 59, 2 *P* exhibet *AB* δὲ *ἐξ* praebent; 51, 9 *δ'* *ἐτέρῃ* in *A* extat. 48, 21 *οὕτως καὶ* cum *F* restituimus (*οὕτω καὶ* cet.). in codicibus modo *ἐς* modo *εἰς* scriptum esse iam supra, ubi de Philostrati minoris opusculo expositum est, adnotavimus. quorum in ea re consensum et si qua discrepantia est meliores secuti sumus.¹⁾ simili modo codicum omnium et ubi inter se dissentiunt meliorum scripturam recepimus in eis verbis, in quibus litterae *σ* vel *τ* duplicatae inveniuntur, veluti *θάλασσα* et *θάλαττα*.²⁾ denique addam in *F* 47, 12 *ποιητῶν*, non *ποιητῶν* scriptum esse.

Iam vero ex quo tempore Winckelmann in praefatione Historiae Artis et Welcker in Philostrarum Imaginum editione Iacobsiana p. LXXI de Callistrati libello severius et acerbius iudicaverunt, is mos increbuerat, ut descriptiones eius tamquam inania atque inepta commenta abicerentur. nostra vero aetate nonnulli viri docti in quibusdam saltem descriptionibus statuas, quae re vera extiterunt, ab eo respectas esse concesserunt, veluti Wolters Arch. Zeit. XXXXIII p. 94 sq., qui tamen de aliis num fundamento aliquo innitantur dubitat, Milani, Mus. ital. di ant. class. III 765 sq., denique Furtwängler, Jahrb. des Ver. v. Alterthumsfr. im Rheinl. LXXX p. 60 sq.³⁾ itaque ut recte de Callistrato existimemus, eadem via, quam in Philostrato

1) 56, 7 in *AP* *εἰς* et 67, 17 in *AB* *ἐς* legitur.

2) 45, 4 *ἐλισσόμενον* praebet *P*; 47, 13 *γλώσσας A*.

3) Locos quibus illi de statu a Callistrato illustratis exposuerunt in adnotationibus commentario insertis indicavimus. librum, quem I. Petrettini Mediolani a. 1839 edidit, hoc loco propterea tantum commemoramus, quod Kayser p. 24 ed. mai. eum immerito laudavit. continet textum Callistrati, interpretationem Italam, notas criticas, commentarium. sed neque ad scripturam emendandam quidquam eo collatum est neque commentarius latus et verbosus, quae nunc est artis antiquae studiorum condicio, ullius omnino est usus.

minore aestimando ingressi sumus, usi inquiramus oportet, quid ille in libro componendo propositum habuerit.

Perlustrantes igitur descriptiones ab eo confectas videmus id inprimis eum egisse, ut quantopere artifex materiae vim vitalem inspiravisset et quantopere animi adfectibus expressis ad ipsam vitae veritatem accessisset legentes edoceret. quamobrem in omnibus fere capitibus eadem recurrit sententia in epigrammatis Graecis post Alexandri Magni aetatem totiens repetita, artificis manu materiam vivam fieri eaque re animos intuentium tamquam miraculo quodam deceptos teneri. nec umquam taedet eum artis vim praedicare, quae non solum, ut Vergili verbis utar, vivos ducere vultus, sed etiam oculorum argutias, capillorum motus, cutis teneritudinem pelluciditatemque imitari possit. hac igitur ratione ductus statuas quas describat eligit. demonstrare enim vult adfectus tenerrimos et vehementissimos inter se mixtos, amorem et furorem, amorem et odium artis ope in statua, veluti in Medae effigie, ita ut nihil deesse videatur, exhiberi itemque in Indi simulacro hominis ebrii statum titubantis simul ac lascivientis perfectissime repraesentari. eodem modo proponit legentibus complures adolescentium iuvenumque figuras quomodo in dura etiam materia carnis mollities effingatur explicaturus, centaurum, quem quasi novum animal sollers artificis ingenium creavit, Memnonem, quem antea lapidem artis gratia sensibus humanis et voce humana instruxit.

Simul vero in his exponendis eruditionem iactare solet seque philosophiae disciplina imbutum esse ubique ostendat scriptor. atque hac ex parte quam plurimum distat a Philostratis, qui, etsi doctrinae minime expertes sunt, talia in praefationibus tangunt, in descriptionibus vero raro inmiscent, explicandi potius artem exercentes. at Callistratus quantopere vocabulis philosophicis adferendis bacchetur, facile cognoscis locis, quae in indice verborum in verbis velut *εἰδωλον, ἰδέα, κατηγορῶ, λογισμός, μετουσία, μηνύω, μίμημα, ὄντως, πάθος, παρονσία, τέχνη, τύπος* similibus

enotata sunt inspectis. ipse, qualis esse debeat omnium quae ad artem spectant arbiter et interpret, pingit 57, 20 his verbis usus: εἰς δὲ τις τῶν περὶ τὰς τέχνας σοφῶν καὶ εἰδόντων σὺν αἰσθήσει τεχνικωτέρῳ τὰ τῶν δημιουργῶν ἀνιχνεύειν θαύματα καὶ λογισμὸν ἐπῆδε τῷ τεχνήματι κτλ., modestius ut videtur eas quibus ipse gloriatur virtutes in alio homine praedicans. neque silentio praetereundum videtur eum in nonnullis capitibus sicut magistrum rarius plures discipulos adpellare, ut in II et V (cf. 55, 17 ὃ νῆτοι¹), saepius unum, ut in VI, VIII, X, XI, in aliis (I, III, IIII, VII, XII, XIII, XIII) ab adlocutione omnino abstinere; nam εἰδες ἄν, ἔφης ἄν, ἰδοὺ similia sermonis figuras esse vix est quod moneam.

Permirus sane nobis esse videretur, si quis ad artis fingendi praestantiam demonstrandam fictis potius quam iis quae extant monumentis uti vellet. plane autem superfluum fuisset, si sophista, qui quarto post Christum natum saeculo vixisse videtur, cum ingens fere signorum, quae adhiberet, multitudo praesto esset, ipse nova statuarum argumenta excogitavisset. atque profecto simulacra quaedam a Callistrato descripta olim extitisse scriptorum confirmatur testimoniis, de ceteris idem comprobatur signis simillimis quae ad nostram memoriam pervenerunt. neque locorum, in quibus statuas collocatas fuisse refert, nomina eum commentum esse putamus. quae enim causa ei fuit, cur celeberrimam illam Medae statuam in Macedonia fuisse confingeret (68, 16)? immo multo veri similis est eum re vera signum, quod in Macedonia extabat, respexisse. neque maiorem habet veri speciem quod Callistrato quidam vitio dederunt, eum artificum nomina finxisse. etenim Scopam Baccham et Lysippum Occasionis statuam fecisse aliorum quoque scriptorum auctoritate adfirmatur. neque

1) satis mirum est capitis secundi exordio et peroratione quintique ultimo enuntiato sublati simul omnia pluralis exempla tolli. quod num mero casui tribuendum sit, alii diiudicent.

in trium quae Praxiteli tribuuntur signorum descriptione quicquam inest quod cum huius arte consociari non possit. quamquam non negamus fieri potuisse ut non fraude sed errore apud scriptores inferioris aetatis haud infrequenti signum aliquod a Callistrato artifice clarissimo tribueretur.

At fortasse quispiam de Callistrati fide dubitaverit idcirco, quod eum longinquis terris et ignotis regionibus peragratias artis opera de quibus exposuit vidisse credibile non sit. cui respondendum erit scriptorem neque in Aethiopiam neque ad Scythas se pervenisse affirmare; immo Memnonis statuam, cuius bis ut in Aethiopia exstantis mentionem inicit, se non vidisse sed ea tantum de illa referre quae ab aliis acceperat ipse indicat verbis *ἐπιστεύομεν* (47, 5) et *λόγος* (63, 16) usus. quae restant regiones, scilicet Athenas Sicyonem Macedoniam Aegyptum quarto saeculo iam ab hominibus visitari non potuisse nemo contendet. quin etiam si concesseris has regiones non omnes ipsum adiisse, haudquaquam sequitur, ut quae descripsit signa ab eo ficta esse censenda sint. permulti enim praesto erant libri fide satis digni, qui materiam scribendi ei suppeditarent; atque sophistam quaedam quae profert ex scriptoribus quos legerat hausisse etiam nunc demonstrari potest. praeterea nihil certius est quam Callistratum descriptiones non dum ipsa signa spectabat confecisse, nisi fortasse ea quae in ipsa Graecia adservata erant. itaque in paucis tantum descriptionibus ea quae ipse praesens viderat in usum suum convertere potuit, aliae eis quae memoria tenebat, aliae denique scriptorum testimoniis innituntur. denique fac eum bis terve statuas quas viderat licentia quadam poetarum more usum alibi collocavisse: num quis ei hoc ut mendacium exprobraverit?

Quae cum ita sint, facile explicatur quod longe diversa est in singulis capitibus describendi ratio. nam modo pauca tantum de forma et habitu figurarum adferuntur, modo omnia quae subtilis artis existimator requi-

rat accurate enarrantur ita, ut vel quae in parte dextra quaeque in sinistra conspiciantur exposita invenias. nomina artificum modo adiecta habes, veluti Scopae (47, 16), Praxitelis, cuius quattuor locis mentio facta est (50, 1 et 51, 21; 60, 18; 62, 1; 65, 16), Lysippi (56, 2), modo omissa, itemque modo terrae vel urbes in quibus signa extant, nominantur, veluti 45, 2 Thebae Aegyptiae, 56, 4 Sicyon, 58, 10 Helicon, 62, 7 Aethiopia, 65, 16 arx (Athenarum), 68, 16 Macedonia, 70, 13 Scythia, modo nulla eius rei significatio invenitur. denique modo quae sit loci natura indicatur, veluti 45, 2 in antro, 52, 2 apud fontem, 53, 9 item ad fontem in nemore, 58, 10 in luco Musarum sacro, 60, 18 in luco Bacchi sacro, 67, 12 in templo statuum collocatam fuisse refertur, modo nihil omnino de ea re commemoratur.¹⁾ ceterum id egisse Callistratum adparet, ut non solum praestantissima artis opera consociata proponeret, sed etiam simul legentes delectaturus res quasdam insolitas et miras admisceret. sic Indi imaginem recepit, sic centauri, denique Memnonis statuam, de qua ita exposuit, ut nihil fere de figura et de arte referret, sed solius miraculi hac aetate celeberrimi descriptione totum caput impleret.

Ceterum si quis Callistrati librum recte aestimare velit, id respiciat necesse est eum in artis miraculis explicandis id quoque egisse, ut quantam vim haberet facultas eloquentiae ostenderet. etenim ut Philostratus minor, sic ille quoque docere voluit artem oratoriam in certamine cum fingendi arte ineundo non inferiorem esse. quae res inprimis ex comparatione illa elucet in capite

1) ex marmore albo Bacchae (cf. 48, 2 ἐκ λεῖθου Παρίου) et Narcissi (54, 4) signa facta sunt, ex nigro imago Indi (52, 3), ex aere simulacra Amoris Occasionis Orphei Bacchi ephebi. satyri Memnonis centauri Medae statuae ex lapide effictae esse dicuntur (genere et colore lapidis non accuratius indicatis). quatenam materia ad Aesculapii signum fabricandum adhibita sit non indicatur; est tamen cur conicias statuam e marmore exsculptam fuisse.

altero ultimo inter Scopam et Demosthenem instituta (49, 7 sqq.). itaque dum ingenio suo indulgens longius exspatiatur eaque interpretatur quae ipse statuæ quam illustraturus est subicit, in adfectibus describendis fines arti natura constitutos excedit et de corporum summa cute, de coloribus variantibus aliisque rebus multa profert, quae tamquam vana commenta et somnia abicienda esse nemo non intellegit.

APPENDIX.

Hoc loco eodem modo quo in praefatione editionis Vin-
dobonensis Imaginum a Philostrato maiore compositarum
p. XXVIII sqq. nomina virorum doctorum, qui de ratione a
nepote in descriptionibus adhibita et de fide ei tribuenda
disputaverunt, et titulos librorum ab eis conscriptorum con-
gessimus compendiis, quibus in singulis libris indicandis usi
sumus, adiectis.

- F I = K. Friederichs, Die Philostratischen Bilder. Ein Beitrag
zur Charakteristik der alten Kunst. Erlangen 1860.
 F II = — — Nachträgliches zu den Philostratischen Bildern.
Ann. phil. suppl. V (1864) 134 sqq.
 B I = H. Brunn, Die Philostratischen Gemälde gegen K. Frie-
derichs vertheidigt. Ann. phil. suppl. IIII (1861) 179 sqq.
 B II = — — Zweite Vertheidigung der Philostratischen Ge-
mälde. Ann. phil. XVII (1871) 1 sqq. et 81 sqq.
 M I = Fr. Matz, De Philostratorum in describendis imaginibus
fide. Bonnae 1867.
 M II = — — H. Brunn's zweite Vertheidigung der Philostra-
tischen Gemälde. Phil. XXXI (1872) 585 sqq.
 Nemitz = C. Nemitz, De Philostratorum imaginibus. Vratis-
laviae 1875.
 Bertrand = E. Bertrand, Un critique d'art dans l'antiquité.
Philostrate et son école. Paris 1881.
-

- 1a. Ἀχιλλεύς ἐν Σκύρῳ F I 113 B I 244 II 29 M I 52, 57, 126.
- 1b. Πύρρος ἐν Σκύρῳ B I 300 M I 133.
2. Μαρσύας F I 187 B I 187, 221, 250 M I 77, 128.
3. Κυνηγείται F I 199 B I 245
4. Ἡρακλῆς ἢ Ἀχιλλῶς F I 33 II 150 B I 208, 217, 243, 248
II 27 M I 51, 58, 125, 133 II 612, 623 Nemitz 27
Bertrand 252
5. Ἡρακλῆς ἐν σαργάνοις F I 11 II 154 B I 184, 230, 245,
252 II 31, 96 M I 55 n. 2, 102, 133 II 621 Nemitz 28.

6. Ὀρφεύς FI 85 II 167 BI 190 II 19 MI 127 n. 3, 134 n. 1.
7. Μήδεια ἐν Κόλχοις FI 160 BI 183, 279 Bertrand 252.
8. Ἀθύροντες FI 141 BI 248 II 87 MI 52, 58, 110, 133
II 620 n. 26, 622 Nemitz 28 Bertrand 250.
9. Πέλοψ FI 158 BI 193, 279.
10. Πύρρος ἢ Μυσοί FI 228 II 136 BI 244, 298 II 26, 93
MI 49, 56, 58, 95 II 611, 613, 619 Nemitz 26 Ber-
trand 249.
11. Ἀργὼ ἢ Αἰήτης B II 89 MI 112, 134 II 622 Nemitz 28.
12. Ἡσιόνη FI 39 BI 214, 216, 244, 257 MI 55, 68 Ber-
trand 244.
13. Σοφοκλῆς FI 122 BI 272 II 102 MI 24 n. 1, 122, 134.
14. Τάκινθος BI 270.
15. Μελέαγρος FI 144 BI 201. 217.
16. Νέσσος BI 222.
17. Φιλοκτήτης FI 24 BI 185 MI 126, 133.

Librorum scripturae in Philostrati adnotationem
criticam non receptae

A. Laurentiani (F')¹⁾

4, 2 δράμα || 4 ἡδεῖ | δεῖα (prius δεῖ ipse scriba oblitte-
ravit) || 5 ἡ ex ó m 1 || 6 προσεστᾶναι || 13 ἡκούσης ex οὐκούςης
m 1 || 22 καὶ τι || 24 δεικνύναι || 5, 2 τίς || 8 σκύρος (a) || 6, 4 βρο-
συρά (corr. m 1 || 8 σκύρον (a) || 7, 10 ἄνετον (ν alt. e corr.) ||
9, 26 χορὸς || 10, 14 ἄτερ || 19 οὔσης ex οὔσαις m 1 || 12, 30 κα-
τήφη || 13, 12 ἡρακλεῖς (corr. rubricator) || 24 πελιδνῇ (sed accen-
tus crassiore ductu exaratus, ut o legit possit || 16, 7 καρπῶ
(κ e corr. || 17, 5 φρονούσης (ν corr. ex o) || 8 λεοντήν || 9 ἔστηξ ||
19 γεγράφαι e γεγράφασιν m 1 || 24 βεβυθισμένη (alterum β
e corr.) || 18, 3 ἀθηνά || 20 πασι (sine accentu) || 19, 21 ὁ πλὴν ||
20, 10 μυρτίλος, item 15 μυρτίλον (aP) || 22 ἄμφω || 23 ἰσχὺν ||
21, 16 πηγαῖσδ' ὅπερ uno ductu scripta, sed postea lineola sepa-
rata, ut πηγαῖσδ' ὅπερ legere tibi videaris || 17 νάματ^o (τ^o in loco
scabro — non in rasura — exaratum, ut in proximo versu lit-
tera ξ in ξὺν) || 22, 2 τάχα ποῦ || 17 ἱρις (P; ἱρις a) || 27, 3 ἀμά-
λαις || 27, 7 βοῦς (βοῦ ex αι vel αν corr. m 1; βᾶς aP) ||
28, 12 πῶς || 16 προσμυγνύναι (aP) || 25 οὐκ οὖν || 32, 10 δξιεά ||
19 νησίδεις (aP) || 35, 7 παρονσίαις (ου e corr.) || 38, 7 βαθεῖα
(εἰ ex εἰ) || 10 ἀνεστηκνία

1) additae sunt, ubi cum F' consentiunt librorum a et P sigla

B. editionis Aldinae (a), codicis Parisini (P), ed. Kayserianae (K).
(scripturas quibus siglae adscriptae non sunt, Aldinae et
Parisiensis communes esse scias)

3, 10 γραφικῶν || 11 τοῦμῶ || τε om. || 19 διασκέφθαι ||
20 σύμβολα a || 22 ἡδὲ^ε P || ξυνελών τι P || 4, 2 οἰκείον om. ||
4 γράφει (corr. m 1) P || 12 ἐπιχειρεῖν || 17 φαντασίαν P ||
20 γραφή || 27 ἔσχονσαι P || 5, 1 αὐτὰ a || ἵνα μὴ (om. ἡμῖν 1) ||
4 ἔχῃ || 7 στιφάν P || 9 καὶ ἀμπ. κλ. ἐν ταῖν χ. || 10 τῆς P || 16 γινώ-
μενον a || 24 ἀνδρῶν || ἔθνη || ἀπο . . ρονσαι a ἀποχωροῦσαι P ||
6, 5 διελεχθήσεται a διεληχθήσεται P || 11 διαρθερεῖν a || 13 τῇ
ex τὴν P || 16 θηρομένων P || 17 εἰς P || 19 χωροῦσι P || 22 τε
om. || 23 σθαι om. P || οὐδὲ || 24 φριγῶν a φριγῶν P || 7, 1 γὰρ
om. || ἀνελημένην a || 22 καὶ ἀνατυποῖ om. || 8 ἐπικρέμματα ||
14 ἀπόμοτον a ἀπόματον P || 15 βοῦσι P || 16 ἐφίστησι P ||
17 τάφρον P || 20 τέλλεται a || φοίνιξ P || ἀνάξων ἐς σκυ-
ρον P || 24 γίγνεται K || λυκομήδους || 25 ταῦτα || 26 ἐδέλει * P ||
8, 4 θρασυνόμενος || 6 ἀπανδῶν || 7 κρεμασθήσεσθαι (σ pr. s. v.
et θ alt. in ras.) P || 10 εἰς || 14 φωνῶντος || 15 ὄφρὺς a et (sic
ubique) K || συνηγμένη a || λαιαίων a λαίων P || 9, 1 καταραθν-
μονμένη P || 6 ξὺν τῷ || σὺν τῷ a σαντῶ P || 13 καθέστηκεν P ||
17 μίλαξ || 19 ὄροφον om. || 20 σοφῶς || 24 ὀμιλλος P ||
10, 4 τύχνης(!) corr. e τύχης P || 9 δοκῶ P || 12 ἦ || 20 δῶ || καὶ ||
11, 2 ἀποριπτούμενα P || 6 δυοῖν || 9 ἀπαιτεῖν || 12, 4 βολήν || 5 γε-
νείας ἀμφιλαφεῖς a || 7 συννεργικὸς || 8 ἦ || οἱ || 12 στριφνὰ || πρὸ ||
13 φρυγῶ P || καλυδὰ || 14 ὦ om. || 17 ἐκπληξιν P || 13, 3 ὁπο-
νοεῖσθαι || 7 ἐκπρηννίζει a || 11 δὲ om. || οἶον || οἱ || ἔδνον ||
15 προλαβῶν || 18 ὁποκλίναντες (in P i ex ei) || 19 χερσὶ P ||
22 φῶλλις || 23 τῆς om. || 24 ὑπόχρως || 25 τὸ δὲ || καὶ τὸ ||
14, 1 λεχῶ P || 3 ἀναποδίσασα || σὺν om. || 4 κόμη P || 8 ἀμφι-
τριώνι P ἀμφιτριόνι a || 9 ἐς PK || 15, 1 ἀποπηδῶν || 9 γένους
(v in ras.) P || 15 ξυμβαλλόντα(!) P || 16 θέατρον οὖν || 17 συγ-
κλείουσιν || 19 μουςαργοίη || 22 ἐς a K || 23 ὄφρὺς a || 24 τῶν
τὸν a || 16, 2 ἐς PK || 7 ἔσω K || 10 ἐμμελῆς || 11 <τὰ> θηρία ||
18 δὴ ex δὲ P || 21 δέρας P || 17, 7 μετόφω || 8 ἐξηρημέ-
της a P || κρηπίδα P || 13 ἐνναλᾶξ P || 19 γεγράφεται P || 20 ὀρι-
στικῶς || ἐπιτωθάξειν (ειν ex ων) P || 21 δυοῖν || 18, 1 ἀνοίας P ||
6 τὸ ex τῷ || 9 φησὶν P || 12 διελθούσα || 20 πασιμέλουσάν
τε K || 21 ὥδην || 23 εἰς P || 24 σωτηρίαν || τὴν om. || 19, 5 ἀνα-
ριφεῖσα P || 6 εἰκάξειν ἀστέρων || δάσει a || 15 ἀψίδι a ἀψίδι P ||
ὄφρὺς a || 23 τρόπον (vel τρόπον) P || 25 δὲ || τὲ || 20, 1 ἐράται
γὰρ a || μισάττεται P || 3 καὶ σχήμα || καύχημα P || 11 ἐστι P ||
19 γίνεταί a P γίνγεσθαι K || 21, 8 τριχὺς || 11 τὸ ἐν P || 12 μορ-
μύρον a || 14 ἐπλήμυνρεν || 22, 3 ἀνακοχῇ P || 4 ἔντατι P ||
8 τανῦν K || 12 γόφων P || 14 ἀμφοῖν || αὐτῶν || 23, 3 θαλάτ-

της *K* || 9 τῆς om. || 11 διαλ¹ύττον *P* || 13 ἀμυσσοῦ m 1 *P* || 16 ἀναβαλλόμεθα *P* ἀναβαλλώμεθα *a* || 18 δὲ *P* || 20 αὐτήν] μὲν τὴν *a* et (cum lac. 6 litt.) *P* || 24 ἀφεστηνένυσθαι || 24, 1 κροῦσεις m 1 *P* || 2 ὀρχομένων || αὐτὰ *a* ἐαυτὰ *P* || 10 προσκαθήμενοι *a* || 15 φωνικὸν || 17 προσφέρει || 20 ἐς *K* || 23 τειχῆρεις *a* || 25, 3 φησὶν *P* || 9 λόγῃ m 1 *P* || 12 λίαν || 26, 3 εἰς || 5 εἰς *P* || 9 καὶ alt. om. || 12 ὃν om. *a* (in lac.) *P* || 15 δοκοῦσι *P* || 17 ξυμβάλεσθαι *P* || 27, 2 διελέγχονσι *K* || 3 ἀμοῦντες || 9 ὑπὸ τε δρυὶ || προστίθετο || 12 ἀλφείων *P* || 15 καπετοῦ *P* || 17 καινοτέρω || 18 κάμακας *P* || 20 τρυγόντων m 1 *P* || τῆς om. *a* || 21 ἐσόδον ἐσφρήσαντες *K* || ταλάρους || 28, 13 ἐννέα δὲ] τέ || 24 τὰ τῆς] ταύτης *P* || 25 στεφάνους—χρυσοῦς *P* || ἐπὶ τὰς κεφαλὰς || 27 χειτῶνες *P* || 29, 1 κατεχόντων || 7 κυβιστῶντες *P* || 8 εἰς || 9 δοκοῦσι *P* || 16 ἀνοιμωτὶ *a* || ἐκχυθεῖς || 22 ὄρα || στίφος || 24 ἐπ' αὐτῷ τοὺς νεκροὺς om. || 30, 2 τῷ ποταμῷ || 7 ἐς *K* (item v. 12 et 19) || 8 γίγνωσκε *K* || 11 ἔπεισιν *P* || 25 ἐνοιάς *P* || 26 αὕτη τε πρὸς ἑαυτὸν || 31, 4 εἰς || 6 κατορθώκασιν *P* || 7 δεδοίκασι *P* || 12 ἐξιόντα *P* || 16 τὸ] τί *P* || μὲν οὖν (οὖν del.) *P* || 17 ἀνεστηκὸς *P* || 18 δίδοσι *P* || 21 φασιν *P* || 23 γιγνώσκειν *K* || 32, 5 ἐθελονσίως m 1 *P* || 32, 13 πολλὴν *a* || 16 ἐκκερτομένον || 18 διαφαινονται || 23 κλύζων (om. περὶ) || 24 ἐμφαινόμενοις *a* || 33, 1 ἀναριπτούντων *P* || 2 ἀπεικασθεῖ^{οι} *P* || ποιήλοις || 6 προστείνας *P* || 14 ἔσω *K* || 34, 6 τὰ ante θεῶν om. || 17 ὑπηγόρων *P* ὑψηγορον *a* || 18 ἐς *K* || 35, 2 ἀκούειν || 6 αὐτῷ om. || 9 λοιπὸν om. || 10 γιγνώσκειν *K* || 12 οἱ om. || 13 ἀπάθδον *P* || 14 δὲ] τε *a* || 15 περιπαλεῖν *P* || 16 γέγραπται — εἰωθός om. *P* || 20 αἰτία καὶ *P* et (cum lac. 5 litt.) *a* || 22 γὰρ om. || 36, 1 καὶ <καὶ> *P* || 2 διωρωμένη m 1 *P* || 5 μνήμης *a* || 6 ἀνέχων *P* || ἔμπνουν || 8 σφρυγῶν *P* φρυγῶν *a* || 10 ξυναπονεύουσα || 15 ἀπόλειαν || 16 ἐκπνεύσας *a* ἐκπλεύσας *P* || 37, 15 χρηῖ νοεῖν || 38, 2 φριγῶν *a* || 3 ὀφιστάμεναι || 5 ἰσχνόν m 1 *P* || οἶον om. *P* || 8 προσεικείμενα *a* || 14 ἐπιτετάχθαι || 23 ΝΕΣΟΣ (sic ubique || 24 δέδεικθαι || πολλῷ <πολλῷ> *P* || 25 αἰρομένον *P* || 39, 6 ἀφοίσεως m 1 *P* || 7 τοῦ βέλους om. || 8 <οὖν> οὐκ *a* || 9 ἀφάσει || 11 φιλόλης *a* || 16 <τῇ> Δημιανείρα *P* || 24 ἑαυτοῦ || 40, 4 ΦΙΛΟΚΤΗΤΟΣ m 1 *P* (item v. 7) || 11 μισθῷ || 12 ἐς *K* || 13 ξυνεφῇ || 41, 2 διαφόρῳ *a*

INDEX LOCORUM

in praefatione tractatorum.

- Phil. 21, 16 p. XII.
 36, 5 p. XIII.
 40, 16 p. XVII.
 Call. inscr. operis p. XXVI.
 p. XLVII.
 c. I inscr. p. XLVI.
 45, 10 p. XXXIII.
 46, 5 p. XXXIII.
 11 p. XXXIX.
 16 p. XXXII.
 c. II inscr. p. XLV sq.
 48, 2 p. XXXII.
 16 p. XXV.
 p. XL.
 49, 16 p. XLI.
 p. XLV.
 18 p. XXXII.
 50, 6 p. XXXIV.
 9 p. XXXIII.
 51, 22 p. XXXI sqq.
 52, 15 p. XXX.
 17 p. XXXIX.
 c. V inscr. p. XLV sq.
 53, 11 p. XXXII.
 p. XL.
 12 p. XXXIX adn. 1.
 23 p. XXXIX.
 54, 5 p. XXXIII.
 6 p. XXXIX.
 18 p. XXVIII.
 55, 3 p. XXXIX.
 5 p. XXXIII.
 8 p. XXXII.
 55, 18 p. XXXIII sq.
 57, 5 p. XXXIX.
 60, 5 p. XLII.
 6 p. XXX.
 61, 22 p. XLI adn. 2.
 62, 16 sqq. p. XLII sq.
 17 p. XXXII.
 63, 15 p. XL.
 c. X inscr. p. XLV sq.
 64, 4 p. XXX adn. 2.
 8 p. XXXV.
 p. XLI.
 65, 3 sq. p. XXXVI.
 c. XI inscr. p. XLV sq.
 66, 1 p. XXXVIII.
 67, 3 p. XLIII adn. 1.
 6 p. XXXVII.
 14 p. XXXII.
 69, 9 p. XXVIII.
 c. XIV inscr. p. XLVII.
 70, 7 p. XXXVII.
 15 p. XLIII.
 71, 3 p. XXXIX.
 4 p. XXXVI.
 12 p. XXXVII.
 p. XLIII adn. 1.
 19 p. XXXVII.
 72, 1 p. XXXII.
 p. XXXIX.
 2 p. XL.
 7 p. XXXIX.
 p. XLII.
-

**ΦΙΛΟΣΤΡΑΤΟΥ ΝΕΩΤΕΡΟΥ
ΕΙΚΟΝΩΝ ΠΡΩΤΟΝ**

F: Laurentianus LVIII 32 saeculi XII

ex quo fluxerunt

a: editio Aldina a. MD III

P: Parisiensis 1760 saeculi XV

stellulis adiectis in Philostrati oratione lacunas indicavimus, in commentariis scripturas a Kaysero in editione minore receptas ab huius editionis textu discrepantes. ubi solius *F* mentio fit, *a* et *P* cum illo consentire scito.

in inscriptione $\Phi. \langle \tau\omicron\theta \rangle \nu$. Kayser

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ

Κ (1) Μὴ ἀφαιρώμεθα τὰς τέχνας τὸ ἀεὶ σφάζεσθαι
 δυσαντίβλεπτον ἡγούμενοι τὸ πρεσβύτερον μῆδ', εἰ
 τῷ τῶν παλαιότερων προείληπται, τοῦτο ζηλοῦν κατὰ
 5 δύνάμιν φειδόμεθα σχήματι εὐπρεπεῖ τὸ ῥάθυμον
 ὑποκοριζόμενοι, ἀλλ' ἐπιβάλωμεν τῷ φθάσαντι· τυ-
 χόντες γὰρ σκοποῦ ἀξίως λόγον πράξομεν, εἰ δέ πη
 καὶ σφαλῆναι ξυμβαίη, τὸ γοῦν ἐπαινοῦντας φαίνεσθαι
 ζηλοῦν τὰ εὖ ἔχοντα ἑαυτοῖς δώσομεν. (2) τί δὴ μοι
 10 ταυτὶ προανακέκρουσται; ἐσπούδασταί τις γραφικῆς
 ἔργων ἔκφρασις τῷμῃ ὁμωνύμῳ τε καὶ μητροπάτορι
 λίαν ἀτιτικῶς τῆς γλώττης ἔχουσα ξὺν ὥρᾳ τε προηγ-
 μένῃ καὶ τόνῳ. ταύτης κατ' ἔχνη χωρῆσαι θελήσαντες
 ἀνάγκην ἔσχομεν πρὸ τῆς ὅλης ἐπιβολῆς καὶ περὶ
 15 ζωγραφίας τινὰ διελθεῖν, ὥς ἂν καὶ ὁ λόγος ἔχη
 τὴν οἰκείαν ὕλην ἐφαρμόττουσαν τοῖς ὑποκειμένοις.
 (3) ζωγραφίας ἄριστον καὶ οὐκ ἐπὶ σμικροῖς τὸ ἐπι-
 τήδευμα· χρὴ γὰρ τὸν ὀρθῶς προστατεύοντα τῆς
 τέχνης φύσιν τε ἀνθρωπείαν εὖ διεσκέφθαι καὶ ἱκανὸν
 20 εἶναι γνωματεύσαι ἡθῶν ξύμβολα καὶ σιωπῶντων καὶ
 τί μὲν ἐν παρειῶν καταστάσει, τί δὲ ἐν ὀφθαλμῶν
 κράσει, τί δὲ ἐν ὀφρύων ἡθρὶ κεῖται καὶ ξυνελόντι
 εἰπεῖν ὀπόσα ἐς γνῶμην τείνει. τούτων δὲ ἱκανῶς

4 προείληπται <τι> Olearius || 8 ἐπαινοῦντας Reiske Heyne
 ἐπαινοῦντα F

- 891 K. ἔχων ξυναιρήσει πάντα καὶ ἄριστα ὑποκρινεῖται ἡ χεὶρ
τὸ οἰκτεῖον ἐκάστου δρᾶμα, μεμνηνότεν εἰ τύχοι ἢ ὀργι-
ζόμενον ἢ ἔννουν ἢ χαίροντα ἢ ὀρμητήν ἢ ἐρῶντα, καὶ
καθάπαξ τὸ ἀρμόδιον ἐφ' ἐκάστῳ γράψει. (4) ἡδεῖα
5 δὲ καὶ ἡ ἐν αὐτῷ ἀπάτη καὶ οὐδὲν ὕνειδος φέρουσα·
τὸ γὰρ τοῖς οὐκ οὔσιν ὥς οὔσι προσεστάναι καὶ ἄγε-
σθαι ὑπ' αὐτῶν, ὥς εἶναι νομίζειν, ἀφ' οὗ βλάβος
οὐδέν, πῶς οὐ ψυχαγωγῆσαι ἱκανὸν καὶ αἰτίας ἐκτός;
(5) δοκοῦσι δέ μοι παλαιοὶ τε καὶ σοφοὶ ἄνδρες πολλὰ
10 ὑπὲρ ξυμμετρίας τῆς ἐν γραφικῇ γράψαι, οἷον νόμους
τιθέντες τῆς ἐκάστου τῶν μελῶν ἀναλογίας ὥς οὐκ
ἐνὸν τῆς κατ' ἔννοιαν κινήσεως ἐπιτυχεῖν ἄριστα μὴ
εἶσω τοῦ ἐκ φύσεως μέτρου τῆς ἀρμονίας ἡκούσης·
τὸ γὰρ ἔκφυλον καὶ ἔξω μέτρου οὐκ ἀποδέχεσθαι φύ-
15 σεως ὀρθῶς ἐκούσης κίνησιν. (6) σκοποῦντι δὲ καὶ 15
ξυγγένειάν τινα πρὸς ποιητικὴν ἔχειν ἢ τέχνην εὐρί-
σκεται καὶ κοινή τις ἀμφοῖν εἶναι φαντασία. θεῶν
τε γὰρ παρουσίαν οἱ ποιηταὶ ἐς τὴν ἑαυτῶν σκηνὴν
ἐσάγονται καὶ πάντα ὅσα ὕγκου καὶ σεμνότητος καὶ
20 ψυχαγωγίας ἔχεται, γραφικὴ τε ὁμοίως, ἃ λέγειν οἱ 20
ποιηταὶ ἔχουσι, ταῦτ' ἐν τῷ γράμματι σημαίνουσα.
(7) καὶ τί χρὴ λέγειν περὶ τῶν ἀριζήλως εἰρημένων
πολλοῖς ἢ πλείονα λέγοντα δοκεῖν ἐς ἐγκώμια καθί-
στασθαι τοῦ πράγματος; ἀρκεῖ γὰρ καὶ ταῦτα δει-
25 κνύναι τὸ σπουδαζόμενον ἡμῖν ὥς οὐκ ἀποβεβλήσεταί 25
ποι, ἣ κομιδῇ σμικρά· γράμμασι γὰρ προστυχὼν χειρὸς
ἀστείως, ἐν οἷς ἀρχαῖαι πράξεις οὐκ ἀμούσως ἔχουσαι

2 <καὶ> μεμνηνότεν Kayser || 13 ἔσω Kayser | ἡκούσης (ἡκ
ex ου ut videtur) F || 14 φύσεως Reiske Jacobs φ^υ F φύσει α P ||
18 τε om. P Morelli* || 21 <ικανῶς> ἔχουσι Kayser || 26 που
Kayser* || ἦ Kayser ἢ F εἰ <καὶ> Jacobs

ἦσαν, οὐκ ἠξίωσα σιωπῇ παρελθεῖν ταῦτα. ἀλλ' ἵν'
 30 ἡμῖν μὴ ἐφ' ἐνὸς τὸ γράμμα προίοι, ἔστω τις ὑποκεί-
 μενος, πρὸς ὃν χρὴ τὰ καθ' ἕκαστα διαρθρῶν, ἵν'
 οὕτω καὶ ὁ λόγος τὸ ἀρμόττον ἔχοι.

(α') ΑΧΙΛΛΕΥΣ ΕΝ ΣΚΤΡΩΙ

5

- Κ. (1) Ἡ κομῶσα τῇ σκίνῃ ἡρώϊνη — ὀρεῖς γάρ
 πον τὴν ὑπὸ τῷ ὄρει στιφρὰν τὸ εἶδος καὶ ἐσταλμένην
 κυανῷ — Σκῦρος, ὃ παῖ, νῆσος, ἣν ὁ θεῖος Σοφοκλῆς
 5 ἀνεμώδεα καλεῖ. ἔστι δ' αὐτῇ καὶ πτόρθος ἐλάας ἐν
 ταῖν χερσὶν καὶ ἀμπέλου κλήμα. ὁ δ' ὑπὸ τοῖς πρό- 10
 ποσὶ τοῦ ὄρους πύργος, παρθενεύονται ἐνταῦθα αἱ
 τοῦ Λυκομήδους κόραι ξὺν τῇ δοκούσῃ παρὰ Θέτιδος
 ἦκειν. (2) τὸ γὰρ τοι Μοιρῶν ἐπὶ τῷ παιδί δόγμα
 10 τοῦ πατρὸς Νηρέως ἢ Θέτις μαθοῦσα καὶ ὥς ἐπ'
 ἄμφω πεπρωμένον αὐτῷ εἶη ἢ ξὺν ἀκλεῶς ἢ εὐκλεᾶ 15
 γενόμενον τάχιστα τελευτᾶν, ἀπόθετος αὐτῇ ὁ παῖς
 ξὺν ταῖς Λυκομήδους θυγατρᾶσιν ἐν Σκύρῃ κρύπτεται
 κόρη μὲν εἶναι δοκῶν ταῖς ἄλλαις, μίαν δὲ αὐτῶν τὴν
 15 πρεσβυτάτην ξὺν ἀπορρήτῳ γνοὺς ἔρωτι, καὶ προίων
 γε ἐς τόκου ὥραν ὁ χρόνος τὸν Πύργον ἐκδώσει. 20
 (3) ἀλλ' οὐκ ἐνταῦθα ταῦτα. λειμῶν δὲ πρὸ τοῦ
 πύργου — ἐπιτήδειος γὰρ ὁ τόπος τῆς νήσου κόραις
 ἀνθῶν ἀφθονίαν δοῦναι — καὶ ὀρεῖς γε, ὥς ἄλλη
 20 ἀλλαχόσε ἀποσκίδνυνται τὰ ἄνθη ἀποκείρουσαι. κάλλος
 μὲν οὖν ἀμήχανον ἀπασῶν, ἀλλ' αἱ μὲν ἀτεχνῶς ἐς 25

2 προίοι F Morelli χοίοι aP || 6 σκίνῃ aP* || 9 ἐλάας
 aP* || 15 ἀκλεῶς <πολὴν χρόνον> Kayser || 20 χρόνος F Iacobs
 χορός a χωρός (o s. ω) P || 23 ἀνθέων Iacobs* || 25 ἀλλ' αἱ F
 Reiske Iacobs ἀλλὰ aP

θήλειαν ὥραν ἀποκλίνουσι βολαῖς τε ὀφθαλμῶν ἀπλᾶ
 ἐκβλεπούσαις καὶ παρειᾶς ἔνθει καὶ τῇ πρὸς ἕκαστα
 ὀρμῇ εὖ μάλα τὸ θήλυ ἐλέγχουσαι, ἥδὲ δὲ ἡ ἀναχαϊ-
 15 ζουσα τὴν κόμην καὶ βλοσυρὰ σὺν ἀβρότῃ αὐτίκα
 μάλα διελεγχθήσεται τὴν φύσιν καὶ τὸ ξὺν ἀνάγκῃ 5
 ἐπίπλαστον ἐκδῶσα τὸν Ἀχιλλέα ἐκδείξει· λόγου γὰρ
 ἔς τοὺς Ἑλληνας ἐμπεσόντος τοῦ τῆς Θέτιδος ἀπορ-
 ρήτου στέλλεται Διομήδης ξὺν Ὀδυσσεὶ ἐπὶ τὴν Σκῦρον
 30 διελέγοντες, ὅπῃ ταῦτα ἔχει. (4) ὀρᾶς δὲ ἄμφω τὸν
 393 K. μὲν καὶ βεβυθισμένον τὴν τῶν ὀφθαλμῶν ἀκτῖνα διὰ 10
 πανουργίαν οἶμαι καὶ τὸ διαθρεῖν τι ἀεὶ, ὃ δὲ τοῦ
 Τυδέως ἔμφρων μὲν, ἔτοιμος δὲ τὴν γνώμην καὶ τὸ
 δραστήριον προτείνων. κατόπιν δὲ αὐτῶν καὶ ὁ τῇ
 5 σάλπιγγι σημαίνων τί δὴ βούλεται καὶ τί τὸ ἥθος τῆς
 γραφῆς; (5) σοφὸς ὢν Ὀδυσσεὺς καὶ Ἴκαλινος τῶν ἀδή- 15
 λων θηρατῆς πρὸς τὸν τῶν θηρωμένων ἑλεγχον μηχαν-
 νᾶται <τὰ> νῦν· εἰσας γὰρ ἐς τὸν λειμῶνα ταλάρους τε
 καὶ ὅσα παισὶ κόραις ἐς παιδιὰν εὐπρεπῇ καὶ πανο-
 10 πλίαν, αἱ μὲν οὖν Λυκομήδους ἐς τὸ οἰκεῖον χωροῦσιν,
 ὁ δὲ τοῦ Πηλέως ταλάροις μὲν καὶ κερκίσι χαίρειν 20
 λέγει παραλιπὼν αὐτὰ ταῖς κόραις ἤδη, ἔς δὲ τὴν
 πανοπλίαν ὀρμήσας γυμνοῦται τε τὸ ἐντεῦθεν * *
 (excidit in *F* folium, huius editionis fere versus L)
 (1) * * σθαί. ὁ δὲ Πύρρος οὐκ ἄγροικος ἔτι οὐδ'
 15 ἐν αὐχμῷ σφριγῶν, οἷα βουκόλων νεανιεύματα, ἀλλ'

1 ἀπαλὰ Olearius* [ἀπαλὰ ἐκβλεπούσαις] Kayser || 2 ἄνθη
 aP ἄνθη Iacobs || 3 ἥδὲ Iacobs ἩΔΙ F ἥδιον aP || 9 ἔξ F | τὸν
 μὲν ὡς βεβυθισμένος Iacobs || 10 [καὶ] Hercher || 16 θηρα-
 τῆρ aP || 17 τανῶν aP νῦν F || 20 ταλάροις aP ταράροις F ||
 22 intercidisse et ultimam partem huius imaginis et initium in-
 sequentis intellexit Iacobs. priorem imaginem sequitur gemella,
 quae illi ex altera parte respondet. titulus ei fuit ΠΤΡΟΣ
 ΕΝ ΣΚΤΡΩΙ

ἦδη στρατιώτης. ἔστη μὲν γὰρ ἀκοντίῳ ἐπερείσας
 ἑαυτὸν καὶ ἀποβλέπων ἐς τὴν ναῦν, ἐσθῆς δὲ αὐτῷ
 φοινικίς ἐξ ὤμου ἄκρου ἐς τὴν ἀριστερὰν ἀνειλημμένη
 20 χεῖρα καὶ λευκὸς ὑπὲρ γόνυ χιτῶν, τὸ δὲ ὄμμα αὐτῷ
 γοργὸν μὲν, οὐκ ἐν ὀρμῇ δέ, ἀλλ' ἐν ἀναβολαῖς ἔτι καὶ 5
 τῷ ἀσχάλλειν τῇ τριβῇ καὶ ἀνατυποῖ τι ἢ γνώμη τῶν
 ἐν Ἰλίῳ μικρὸν ὕστερον. ἡ κόμη νῦν μὲν ἡσυχάζοντος
 ἐπικρέμαται τῷ μετώπῳ, ὀρμήσαντος δὲ ἀτακτῆσειε συν-
 25 ἀπονέουσα ταῖς τοῦ θυμοῦ κινήσεσιν. (2) αἱ δὲ ἀνα-
 σκιρτᾶσαι ἄνετον αἶγες καὶ τὰ ἀτακτοῦντα βουκόλια 10
 καὶ ἡ ἐν μέσοις ἐρριμμένη κορύνῃ σὺν καλαύροπι
 τοιοῦδε, ὧ παῖ, λόγου ἔχεται· ἀχθόμενος τῇ μητρὶ καὶ
 τῷ πάππῳ τῆς ἐν τῇ νήσῳ ἔδρας, ἐπειδὴ ἐπ' Ἀχιλλεῖ
 30 τεθνεῶτι δέισαντες περὶ τῷ παιδί ἀπώμοτον ἐποιήσαντο
 τὴν τοῦ Πύρρου ἔξοδον, αἰπολίους τε καὶ βουσίην ἑαυτὸν 15
 194 K. ἐφίστησιν ἀπαυχενίζων τοὺς ἀτιμάζοντας τὴν ἀγέλην
 ταύρους, οἳ δὴ πρὸς τῷ ἐν δεξιᾷ δαίκνυνται ὄρει.
 (3) λογίον δὲ ἐς τοὺς Ἑλληνας ἐμπεσόντος, ὥς οὐκ
 ἄλλῳ τῷ ἁλωτὸς ἔσοιτο ἢ Τροία πλὴν τοῖς Αἰακίδαις,
 5 στέλλεται ὁ Φοῖνιξ ἐς τὴν Σκῦρον ἀνάξων τὸν παῖδα 20
 καὶ καθορμισάμενος ἐντυγχάνει οἱ οὐκ εἰδότε οὐκ εἰδῶς
 πλὴν ὅσα τὸ ἄβρόν τε καὶ ἄδρὸν τοῦ εἰδους ὑπεδείκνυ
 αὐτὸν Ἀχιλλέως εἶναι παῖδα. κἀντεῦθεν γνωρίσας, ὅς
 εἶη, ἔκπυστος γίνεται τῷ τε Λυκομήδει καὶ τῇ Ἀηίδα-
 10 μεῖα. (4) ταῦθ' ἡ τέχνη βραχεῖ τούτῳ γράμματι ἀνα- 25
 διδάσκειν ἡμᾶς ἐθέλει, γέγραπται δὲ ὥς καὶ ποιηταῖς
 φῶδὴν παρασχεῖν.

2 ἐσθῆς... φοινικίς F Morelli ἐσθῆς... φοίνικες α P || 3 ὤμου
 F Morelli ὤμου α P || 5 καὶ del. Kayser* || 8 ἀτακτῆσειε F ἀτα-
 κτήσει Iacobs αὐτὰ κτήσειεν α P || 13 <ὕπερ> τῆς Kayser ||
 17 ἐνδείκνυνται α P* || 22 ἀπεδείκνυ α P

(β') ΜΑΡΣΤΑΣ

(1) Καθήρηται ὁ Φρύξ, βλέπει γοῦν ἀπολωλὸς
 15 ἤδη διὰ ξύνεσιν ὧν πείσεται καὶ ὕστατα δὴ ἀλλήσας
 πεπίστευκεν οὐκ ἐς καιρὸν ἐς τὸν τῆς Αἰτουῦς θρασυ-
 νάμενος, ἐρριπταί τε αὐτῷ ὁ ἀλλὸς ἄτιμος μὴ ἀλλεῖν 5
 ἔτι, ὥς καὶ νῦν ἀπάδων ἐλήλεγκται καὶ παρεόστηκε
 μὲν τῇ πίτνι, ἀφ' ἧς κρεμασθήσεσθαι οἶδε ταύτην
 20 ἑαυτοῦ καταδικασάμενος δίκην ἀσκὸς δεδάσθαι. (2) ὑπο-
 βλέπει δὲ ἐς τὸν βάρβαρον τοῦτον τὴν ἀκμὴν τῆς
 μαχαίρας παρακονώμενον ἐς αὐτόν· ὄρας γάρ που, ὥς 10
 αἱ μὲν χεῖρες ἐς τὴν ἀκόνην αὐτῷ καὶ τὸν σίδηρον,
 ἀναβλέπει δὲ ἐς τὸν Μαρσύαν γλανυῶν τὸ ὀφθαλμῶ
 25 καὶ κόμην τινὰ διανιστὰς ἀγρίαν τε καὶ αὐχμῶσαν. τὸ
 δὲ ἐπὶ τῆς παρειᾶς ἐρευθὸς φονῶντος οἶμαι καὶ ἡ
 ὀφρὺς δὲ ὑπέρεκται τοῦ ὄμματος ἐς αὐγὴν ξυνηγμένη 15
 καὶ διδοῦσά τι τῷ θυμῷ ἦθος, ἀλλὰ καὶ σέσηρεν
 ἄγριόν τι ὑπὸ τῶν μελλόντων αὐτῷ δρᾶσθαι, οὐκ
 30 οἶδ' εἴτε χαίρων εἴτε καὶ ἀνοιδούσης ἐς τὴν σφαγὴν
 395 K. τῆς γνώμης. (3) ὁ δὲ Ἀπόλλων γέγραπται διαναπαύων
 ἑαυτὸν ἐπὶ πέτρᾳ τινός, ἡ λύρα δὲ ἐν ἀριστερεῇ κει- 20
 μένη ἔτι πλήττεται ὑπὸ τῆς χειρὸς τῆς λαϊᾶς ἐμπι-
 τούσης ἡρεμαίως καὶ οἶον διαψαλλούσης. ὄρας δὲ καὶ
 5 ῥάθυμον τὸ τοῦ θεοῦ εἶδος καὶ μειδίᾳ ἐπανθοῦν
 τῷ προσώπῳ, ἥ τε χεὶρ ἡ δεξιὰ ἐπίκειται τῷ κόλπῳ,

8 ὑποβλέπει F Salmasius ὑποκλέπτει aP || 10 παρακο-
 νώμενον F anon. Ald. Gott. Boettiger παρακινώμενον aP ||
 15 αὐγὴν F αὐτήν Iacobs ὀργὴν anon. Ald. apud Olearium ||
 17 ὑπὲρ aP | <καὶ> οὐκ aP* || 22 διαψαλλούσης] νῇ Δί' ἀταλ-
 λούσης Iacobs* | ὄρας F ὄρα aP ὄρα Morelli* || 23 τὸ ῥάθυμον
 τοῦ Iacobs || 24 προσώπῳ Olearius ἀσώπῳ F

πράως ξυνέχουσα τὸ πληκτρον, καταρραθνυμονυμένη ὑπὸ
 τοῦ ἐς τὴν νίκην χαίροντος. αὐτοῦ καὶ ὁ ποταμὸς τοῦ
 10 Μαρσύα ἐπωνυμίαν ἀμείψων. (4) ὄρα μοι καὶ τὴν
 τῶν Σατύρων ἀγέλην, οἷα θρηνοῦντες τὸν Μαρσύαν
 γεγράφεται, ὥς ἐπιφαίνοντες τὸ ἀγέρωχον καὶ ἀνε- 5
 σκιρτηκὸς ξὺν τῷ ἀνιάσθαι.

(γ') ΚΤΝΗΓΕΤΑΙ

(1) Τί δ' οὐκ ἂν εἰποῖς περὶ τούτων, οὓς ἄγει
 15 μὲν ἀπὸ θήρας ἡ γραφή, πηγὴν δ' αὐτοῖς ἀναδίδωσιν
 ἀκραιφνή ποτίμου τε καὶ διαυγοῦς νάματος; ὄρα δέ 10
 πού καὶ τὸ περὶ τὴν πηγὴν ἄλσος, φύσεως ἔργον οἶμαι
 τῆς σοφῆς· ἱκανὴ γὰρ πάντα, ὅσα βούλεται, καὶ δεῖται
 τέχνης οὐδέν, ἥ γε καὶ τέχναις αὐταῖς ἀρχὴ καθέστηκε.
 20 (2) τί γὰρ ἐνδεῖ πρὸς τὴν τῆς σκιάς παρασκευήν; αἰδὼ
 μὲν ἡμερίδες ἄγριαι ἀνερπύσασθαι τῶν δένδρων ξυμ- 15
 βεβλήκασι τοὺς τῶν κλημάτων κορυμβοὺς ἄλλον ἄλλω
 συνδέουσαι, σμίλαξ δὲ αὕτη καὶ κιττὸς ὁμοῦ τε καὶ
 καθ' ἓν διασχόντες πυκνὸν τινα τοῦτον καὶ ἡδίω
 25 τέχνης ὄροφον ἡμῖν παρέχουσιν. ὁ δὲ τῶν ἀηδόνων
 χορὸς καὶ τὰ τῶν ἄλλων ὀρνέων μουσεῖα σαφῶς ἡμῖν 20
 τὰ τοῦ μελιχροτάτου Σοφοκλέους ἐπὶ γλῶτταν ἄγει

πυκνόπτεροι δ'

εἴσω κατ' αὐτὸν εὐστομοῦσ' ἀηδόνες,

30 εἰπόντος. (3) ἀλλ' ὅ γε τῶν θηρευτῶν δμῖλος ἡδεῖς

3 μαρσύα F πορσίον α πρότον P; Μαρσύου anon. Ald.
 Gott., Olearius <δ> τοῦ Μαρσύα Iacobs | τὴν om. α P*
 9 δ' αὐτοῖς F Salmasius δὲ αὐτῆς α P (οἷς s. ἦς) || 10 ὄρα α P ||
 15 αἱ ἡμερίδες α αἱμερίδες P αἱ ἡμ. Morelli* | τῶν δένδρων
 post συνδέουσαι transponit Kayser*; τῶν δένδρων <ἄνω>
 Schenkl, ἄνω ἐρπύσασθαι Arnim || 16 ἄλλο ἄλλω Olearius ||
 22 πυκνόπτεροι Olearius e Sophocle, πυκνότερον F, πυκνότεροι
 codd. apud Suidam s. v. ἴρος

³⁹⁶ Κ. μὲν καὶ στιφροὶ καὶ πνέοντες ἔτι τὸν ἐν τῇ θήρᾳ
 θυμόν, ἄλλος δὲ ἄλλο τι πράττοντες διαναπαύουσι
 σφᾶς αὐτούς. οἷον, ὧ θεοί, καὶ ὡς ἡδὺ τὸ σαφές τῆς
 τέχνης καὶ ὡς ἔστιν ὁρᾶν τὴν ἐκάστου τύχην. στιβάς
 5 μὲν αὐτοσχέδιος αὕτη δικτύων οἶμαι ξυγκειμένη δέχεται
 τοὺς ἄρχοντας, καλὸν εἰπεῖν, τῆς θήρας. (4) καὶ πέντε
 μὲν οὗτοι. ὁρᾷς δὲ τὸν μεσαλιτατον αὐτῶν, ὡς διε-
 γείρας ἑαυτὸν ἔστραπτει πρὸς τοὺς ὑπερκατακειμένους
 10 τὸν ἑαυτοῦ, μοι δοκεῖν, ἄθλον ἀφηγούμενος καὶ τὸ
 καταβαλεῖν θάτερον τῶν θηρίων πρῶτος, ἃ δὴ τῶν 10
 δρυῶν ἐξήρτηται δικτύοις, ἔλαφος οἶμαι καὶ σῦς ἐγκεί-
 μενα. ἥ γὰρ οὐκ ἐπῆρθαι σοι δοκεῖ καὶ χαίρειν τῷ
 ἔργῳ; οἱ δ' ἀτενὲς μὲν ὁρῶσιν ἐς αὐτὸν ἀφηγούμενον,
 15 ἄτερος δὲ σφῶν ἐναποκλίνας ἑαυτὸν τῇ στιβάδι διανα-
 παύει πού καὶ αὐτὸς τάχα ἀναγράφων τι τῆς θήρας 15
 οἰκτεῖον ἔργον. θάτερον δὲ τοῦ ξυσσιτίου κέρας <ὁ>
 πρὸς τῷ μεσαιτάτῳ κύλικος ἡμιδεοῦς ἐν θατέρᾳ ταῖν
 χειροῖν οὔσης τὴν δεξιὰν ὑπὲρ κεφαλῆς περιαγαγὼν
